SYNTAGMA

VNIVERSAE, DE SACROSANCTA COENA DOMINI,

sententię controuersiæq́ꝫ, breuiter, perspicuè & absque conuitijs iurgijsq́ꝫ, modestè, ad dijudicandum, uniuersis propositum, authore ABDIA LIBERINO Germano, Ecclesiæ Christi ministro, &c.

I. THESSAL. V.

SPIRITVM *ne extinguite, Prophetias ne pro nihilo habete, omnia explorate, quod bonum fuerit, retinete.*

SYNTAGMA VNIVERSAE DE SACROSANCTA COENA DOMINI CONTROuersiæ, authore ABDIA LIBERINO Germano, Ecclesiæ Christi ministro.

IN eo, quem tradidisti, de re sacramentaria libello, multa sum admiratus: Primum quidem, hominis sane quam docti, non mediocre acumẽ ingenij: Tum etiam speciosam dexteritatem in eludendis aduersariorum argumẽtis: Deinde quod cum in eorum recitatione bonæ fidei specimẽ præ se ferret: eadem tamen inuersione ordinis propemodum eneruaret: postremo quod vir & doctus & acutus tantopere hallucinetur, non modo in veritate inuenienda, sed etiã in dijudicãdis argumẽtis.

In præfatione obijcit Cinglianos (hoc enim nomine appellat eos, qui Cœnę Domini verba pro perpetua sacramentorum analogia accipi volunt) pleraq; argumenta deseruisse, quibus tamen quondam quasi muro quodam aheneo niti solerent. Quod minime probat: pollicetur deinde se præcipua quæq; illorum argumenta, non modo bona fide commemoraturum: sed etiam firmis & rationibus & scripturis euersurũ: Quorum neutrum tamen præstat. Quædam enim dissimulat, pleraque interuertit, complura perperam accommodat, neq; quicquam solide refellit. Nonnunquã etiam ita impingit turpiter, vt existimes dialectices prorsus rudem: Sed malo reipsa hæc demonstrari, quam iactari verbis. Restat igitur vt eius vel examinationem vel refutationem nostrorum argumentorum accurate expendamus. Quod quidem Deo patre Domini nostri Iesu Christi fautore, atq; adeo autore, spero, faciemus. Si primum nostra argumenta eorumq; pondus non quidem, vt ipse proponit, sed vt ea nos solemus proponere, non confuso ordine, ob oculos lectori posuerimus.

Quæ inter nos conueniunt.

Ante omnia igitur & sedulo quidem expendamus, quis sit cōtrouersiæ status: ne fortè hoc minus cognito, in cōfusaneam quandam verborum rixam, vt fieri solet, lectorum animi distrahantur. Quæcunque enim vel à nobis in hoc opere suscepto argumenta adferentur: vel ab aduersario contra nos producta diluentur: omnia ad vnum hunc controuersiæ statum quasi ad scopum erunt referenda.

I. Primùm itaque constat inter omnes, Christum suum corpus ac sanguinem Deo patri ad eius iram, quam contra peccati atq; inobedientiæ labem vniuerso generi humano quasi à natura inustam conceperat, expiandam, in ara crucis, vice odoratissimi sacrificij obtulisse. Adeo vt quisquis huius oblationis virtute confidat, à mortis peccatiq́; reatu sese liberatum, is procul dubio iustitiæ gratuitam imputationem fide sibi propriam faciat: Ita vt à peccato immunis, vel certè ablutus Christi sanguine & omni sublata inimicitia in eiusdē carne, coram Deo tāquam iustus sanctusq́; posit apparere.

II. Est & hoc extra controuersiam, Christū illum fidum animarum nostrarum pastorem voluisse huiusce sui sacrificij, nempe corporis & sanguinis in hac vita, certum nobis extare sacramentum: Cuius celebratione animi nostri, quasi quodam efficacissimo stimulo, ad tanti beneficij memoriam excitarentur: vt in omnibus vel aduersissimis rebus nobis in mentes rediret, nos illi summæ esse curæ, quod nos vere corporis sanguinisq́; sui effecerit participes: Equidem vsque eo, vt verè simus os ex ossibus eius, & caro ex carne eius: Qua copulatione, nihil ne cogitari quidem potest arctius, nihil copulatius, nihil amabilius.

III. Porrò huiusce copulationis sacramentum atq; tesseram in cœna sacratissima fuisse ab illo institutam, nobisq́; oblatam, etiam est extra dubitationem.

IIII. Imò verò his Christi verbis omnium iam sermone vulgatissimis, nempe, Accipite, edite, hoc est corpus meū, &c. contineri eam de qua diximus, sacramenti institutionem nemo est qui ambigat.

Quis sit status controuersiæ?

Omnis autē controuersia in eo consistit, quod cum Christus de pane dixerit, esse suum corpus, de calice, esse suum sanguinem

guinem, quæratur, An illa verba ita accipi debeant quasi attributum de subiecto dicatur, secundum suam propriam, realem, ac natiuam significationem? An potius per aliquam figuram & tropum, quales in scriptura innumerabiles possunt reperiri.

Lutheri sententia.

Lutherus homo magna eruditione, maiori iudicio, maxima pietate, sed tamen homo vult, ea proprie, realiter ac substantialiter ita accipi: quasi panis non modo significet aut repræsentet corpus, tanquam sacra aliqua tessera, aut figura, aut symbolum: Sed etiam reuera, atque (vt vulgo loquuntur) essentialiter ipsum illud corpus, quod in cruce patri pro nobis oblatum est, & si non sit, contineat tamen.

Expositio nostræ sententiæ.

Nos contrà negamus, Christi eam fuisse mentem, quasi suum illud corpus, quod inter discipulos mensę accumbebat, certa corporis dimensione circumscriptum ac loco finitum, vellet ijs verbis ad panis extendi substantiam: Verùm asseueramus, hoc vnum illi fuisse propositum, vt iam ex hoc mundo abiẽs, & discipulos (vt ipse ait) relinquens recordationis suæ mortis, ac tanti (de quo diximus) beneficij vel signum vel symbolum vel deniq; tesseram quàm efficacissimã, & quidem verbis quã significantissimis ijs traderet: vt ne tam grauibus, quæ iamiam incumbebant ærumnis, neq; tum temporis, neque vnquam postea, in summis persecutionum procellis & calamitatum varijs generibus animis conciderent: Sed potius ad diuini illius beneficij commemorationem sese erigerent, ac in spem æternæ vitę huiusmodi symbolo sustentarentur.

Quemadmodum inter coniuges mutua charitate inter se flagrantes, non rarò solet vsuuenire, vt cum suauis illa consuetudo, vel morte, vel alio quopiam diuturno interuallo interrumpitur, alter abiens, alteri symbolum aliquod sui amoris quàm potest efficacissimum relinquat: idq; verbis commendet & significantiss. & ad amorem testãdum accommodatissimis. Ad eam rem sumunt nonnulli annulum, nonnulli effigiem lineamentorum accuratè effictam: permulti etiam communia illa amoris mutui pignora, liberos inquam communes in medio ponunt. Hæc ipsa symbola volunt à coniuge spectari, in oculis,

in animo, in pretio haberi: & quo id testentur significantius. Hoc inquiunt, tibi est maritus tuus: Hoc tibi est ipse ego: Hoc tu intuere, aspecta, hoc cole, hoc ama: Hoc quotiescunque eris osculatus, in mei memoriam feceris. Ita Christus iamiam moribundus charissimo illi suo discipulo Ioanni inquit: Hæc est mater tua: Matri vero illi suauissimæ sanctissimæq; de Ioanne ait: Hic est filius tuus. Sane si dixisset: Hic tibi erit signum vel symbolum vel imago filij tui: Iam omnis orationis atque affectionis neruus incisus erat. At vero cum ait ipsissimum esse filium, hoc certe est quod serio posit illam solari. Huiusmodi exempla possent referri infinita: Sed tantum his volo, vt, in quo nostra consistat controuersia rite intelligatur.

Itaq; vt paucis rem complectar. Nos & docemus & credimus, verba illa Christi in vltima cœna, nullã omnino vel transsubstantiationem vel consubstantiationem secum afferre: Sed efficacissime nobis ob oculos ponere, verê corpus Christi nostrum quasi mancipio factum esse: pro nobis verè in cruce fractum: vereque eius sanguinem pro nobis in nostri salutem esse profusum (Qua fide verè nos apud Deum iusti sumus, atque adeò verè vitam illam, quæ operum iustitiæ in lege erat quondam promissa, consequimur) eademque verè ali ac vegetari in spem æternæ vitæ, non secus, imò verò longè efficacius quàm corpus ipsum vel pane alatur vel vino. Quod sanè mysterium non potuit à domino nostro Iesu Christo, qui verè nobis est sponsus ac maritus, verè os ex ossibus nostris, & caro ex carne nostra, vllis omnino verbis exprimi vel significantius vel efficacius quàm ijs ipsis quibus est vsus dum dixit: Accipite comedite, hoc est corpus meum, &c.

Veritas verborum Christi in cœna vnde pendeat.

Primum itaq; constanter asseueramus, verba Christi, quibus de pane ait: Hoc est corpus meum, esse & longè verissima, & eius erga nos incredibili amori ac summis beneficijs quàm conuenientissima. De verborum itaq; veritate nulla posthac mouetur controuersia. Nam quod aduersarij nobis impingũt, cum verborum veritatem verbo confiteamur, eandem reipsa pernegare, nequaquã est nostrę doctrinæ consentaneum. Quẽadmodum enim fatentur omnes, verba illa Christi. Ego sum vitis vera esse verissima, etiamsi nemo vel substantialiter vel cor-

poraliter ea intellexerit: Ita possumus verborum veritati assentiri, licet corporalem omnem vel realem modum excludamus. Nec verò velim hoc ita accipi, quasi hæc inter se comparem vt noster antagonista plerunque solet, quascunque producimus huiusmodi similitudines, eas ita interpretari, quasi in ipsa rei efficacia & non potius in loquendi forma, velimus esse similes: Sed hoc tantùm volo, verborum veritatem non pendere à realitate. Quod nemo sani iudicij mihi non dabit, nisi velimus, omnes tropicas in scriptura locutiones falsitatis accusare, quia non realiter debeant accipi. Est igitur vtrinque in confesso, verissima esse verba Christi: Sed quæ sit vera ac genuina eorundē interpretatio, id vnum vocatur porro in dubium.

Omnem interpretationem ex argumento rei subiectæ petendam esse.

Quod vt rectè intelligatur, censemus in primis atque adeò vnice animaduertendum esse, quæ sit horum verborum subiecta materia: Secundum enim rerum de quibus agitur, hypothesin, sunt omnes explicandæ sentētiæ: Nec tam verba ipsa quàm verborum est mens intuenda.

Cum scriptura millies inculcat, aures Domini patere ijs qui eum inuocant, oculos eius intendi in nupios, brachia & manus ad vltionem exertas: Quia materia vel res subiecta vel omnino scopus is est, vt effecta paternæ illius curæ, quum pro suis gerit Deus, & simul grauitas vltionis impiorum nobis ponatur ob oculos: nemo dubitat ex effectis ipsis, non ex verbis eorum sententiam interpretari. Alioqui cum Anthropomorphitis Deus humanis membris fuerit effingendus.

Eodemq; modo, cum vel pœnitentia vel animi commotio ægritudoq; aliqua illi ascribitur non recurrimus ad verborum sonum: multò etiam minus ad immensæ potentiæ æstimationem (quasi possit quod dicat se velle) sed à materia subiecta & à spiritus Sancti scopo, qui effecta iustitiæ diuinę humano nobis more proponit, explicationem verissimā petimus. Ita cum Christus iubet nos odisse patrem ac matrem quos idem vult coli ac diligi: non possunt hæc nisi accurata materię subiectæ consideratione intelligi. Idem cum prohibet malum pro malo reddi, neq; omnino vult vt malo aduersemur: cum tamen spiritus Sanctus magistratum gladio non frustra armarit. Debent sanè

hæc ex ratione materiæ subiectæ declarari. Nec tamen volo (ne quis cauilletur) has loquendi formas inter se omnes tanquam pares committere: sed ex ijs tantum efficio, vt verborum interpretationem ex argumēto ac re proposita, non ex ipsis verborum apicibus petamus.

Quod sit argumentum rei subiectæ in Eucharistiæ institutione.

Quod est igitur in his Christi verbis argumentū propositū? An nō instituere sacramētū corporis ac sanguinis quæ pro nobis paulò post tradenda erant? planè id omnes æqui iudices nobis dabūt. Non enim hic Christus corpus assumit. Iam enim pridem assumpserat: nec sumpti corporis vel formam vel naturam immutat. Non etiam offert corpus in sacrificium peccatorum expiandorum: Nec effundit quidem sanguinem vt nos à peccatis abluat & patri recōciliet: Id enim in ara crucis demum præstitit. Sed ad harum rerum commemorationem efficacissimam sacramentum instituit. Videamus itaq; quid sit sacramentum, quid eius ratio ac natura postulet: & ita facile erit de tota controuersia rectè iudicare.

Nostræ sententiæ confirmatio à definitione, notatione & significatione sacramenti.

Ipsi si nobis Antagonistæ definiant sacramētum, certè neque rectius neque breuius definient ipso Augustino qui ait sacramentum esse sacræ rei visibile signum. Quod si igitur sacramentum omnino est signum rei sacræ, vt vel ipsa notatio verbi indicat: Quis dubitabit, quin ea Christi verba, quibus instituitur sacramentum, ex natura ac ratione signi potius quam ex syllabarum apicibus sint æstimanda?

Sanè si panis est sacramentum corporis Dominici pro nobis in cruce fracti, eiusdem sacratum signum vt sit necesse est: Quod si est signum, iam de re subiecta constat nec potest dubitari, quin ad eius trutinam verba sua Christus accommodarit. Nam & ipsa scriptura hoc signi verbo sacramētorum naturam definitionemq; explicat. Constat enim apud omnes, veteris testamenti prophetas hebraicè locutos esse. Hebræa autem lingua sacramenti illud verbum non potest magis proprie efferre

quam hoc nomine signi. Sacramenta enim omnia apud illos האותות ברית haothoch berith, id est, signa fœderis nominantur Ipse Deus fœderis sui vnicus autor, quoties vel circumcisionem vel arcam fœderis, vel alia vlla benignitatis suæ erga nos sacramenta in medio ponit, ea hoc vno signi nomine compellat: Fateor equidem multo latius patere signi nomen quam sacramenti vox à nobis vsurpetur: Haud minus tamen idcirco omne sacramentum sacrum signū est eius rei, cuius est sacramentum. Signum enim generalis nota est omnium tesserarum, symbolorū sigillorumq; quibus fœdus aliquod sancitur. Sacramenti nomen nos ad ea modo signa vel symbola traduximus, quibus fœdus illud à Domino gratuito nobiscum initum, & in corpore ac sanguine domini Iesu Christi in ara crucis sancitum ad peccatorū cōsequendā remissionē ob oculos nobis ponitur.

A natura & analogia sacramenti.

Scio nostros aduersarios hic acute philosophari in hoc explicando sacramento. Volunt enim corpus sui esse ipsius signū. Sed de hoc postea viderimus. Nunc omnino constat sacramentorum naturā ad signorum esse rationem referēdam. Iam vero ea est omnium tesserarum, signorum, symbolorū, sigillorumq; natura & ratio, vt ex similitudine seu analogia quam habent cū ipso fœdere vel contractu, cuius causa adhibentur, vel omnino cum re quam significant, nomen ipsius rei significatæ persæpe mutuentur sine vlla reali aut substantiali miraculosaq; rerū metamorphosi, & præterea sua etiam ipsis rebus nomina tribuāt.

Hac in re si nostra fides non valet, valeat autoritas Augustini. Is enim epistola 23. ad Bonifacium ita scribit: Si sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarū sunt sacramenta, non haberent, vtiq; sacramenta non essent: Ex hac aūt similitudine plerunq; etiam ipsarum rerum nomina accipiūt. Sicut ergo secundum quendam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est: Ita sacramentum fidei fides est, &c. Idem contra Adamantum Manichæum cap. 12. dicit Christum non dubitasse vocare corpus suum, quum signum daret corporis sui. Valeat autoritas Theodoreti qui disertis verbis ait in dialogo, qui ἄτρεπτος nominatur seruatorem nostrum permutasse nomina, & corpori quidem tribuisse nomen symboli: Symbolo vero corporis: Ita inquit vitem sese nominauit & symbolum sanguinē suum

appellauit. Cypr. eadē propemodū sententia vtitur in sermone de Chrismate Idē à Bernhardo & quidē copiose explicatur, sumpta similitudine ab inuestituris. Sed nondū pugno autoritate.

A communi usu loquendi & ratione fœderum.

Ratio ipsa & vsus loquendi cōmunis apud agrestes etiā populos vsitatus id omnino docet. Quis enim nescit signa contractuū solēnia pene omnia, sępenumero nomina ipsa contractuū sortiri? Ita dicimus porrectā glebā esse misionem in agrū, Virgulam in manū Iudicis traditā esse mancipi desertionem, vindictam vel pileum libertatis donationē. Quid vero peruulgatius quā nomine iustitiæ notare vel fasces lictorios vel ipsum magistratum? Quod cum in omnibus contractibus locum habet: tū vero potissimum in solenni fœderum sanctione, in quibus vel phratria vel cōmunio aliqua atq; societas iniri solet. Ita enim recte de vellere aureo ac proprie dicitur, Hic est ordo ille patritius atq; equestris phratriæ Burgundicæ: cū tamen insigne tantū sit eius ordinis. Quid annulus qui solet coniugibus in matrimonio contrahendo dari, annon vulgo plerunq; ipsius matrimonij nomine insignitur? Nec tamen est, qui ex verbi substantiui proprietate metamorphosin aliquā statuat? Quid dicā de simulachris & statuis, quæ lineamenta tantū corporum non animorum affectiones aut virtutes referunt? Quid de monumētis quibus animi quædam effigies obscure exprimitur? Quis tamen vel de statua Liuij dubitabit dicere, eum esse Liuium? vel de libris Ciceronis esse Ciceronem ipsum? Nec est tamen qui metamorphosin somniet. Quod si hæc fiunt ijs, quæ obscura quædā vestigia tantum valent adumbrare: Quid existimandum est de ijs sacramentis, quæ ipsam corporis Christi vim viuificam nobis tantum nō ponunt ob oculos? Si inter homines & quidem viuos symbola contractuum ad maiorem emphasin rerum nominibus insigniuntur: Quid de testantibus & morientibus dicendum est? qui solent vel efficacissima plerunq; sui symbola conquirere? Quid de filio Dei, qui sane noluit ex hoc mundo abire, nisi efficaci tessera testatum faceret, quanti eius mortis virtus à nobis esset æstimanda?

A simili orationis forma.

Sane si Christus ex hac vita decedēs statuam aliquam aut simulachrum corporis lineamēta pulchre referens discipulis cōmēdasset his verbis: Hoc intuemini: Hoc enim est corpus meū: Hoc

Hoc quoties aspexeritis, toties mei memoriam colite. Quis dubitaret quin ea verba ex cõmuni loquendi norma interpretationem accipere deberent? Nunc aũt quia corporis non externam speciẽ, sed virtutem viuificam ac diuinã efficaciam, qua per fidẽ nos alit ac vegetat, voluit non lineamentorũ vmbris inanib. sed efficacissimis panis & vini symbolis (quibus nihil est omnino, nec ad vitam humanã sustentandam roborandamq; efficacius, nec ad vnionẽ illam mirificam Christi cum sua Ecclesia ob oculos ponendã accõmodatius) demonstrare & ad viuũ quodammodo exprimere: Idcirco non ex symbolorũ natura eius mentẽ æstimabimus: sed in apicibus verborum hærẽtes, nouas rerum formas ac substantias, nouaq; miracula, ad potentiam Dei rixis contentionibusq; obijciendam cõfingemus? Sed inquies. Christus ait esse suum corpus: Fateor & fateor esse corpus: sed symbolice, sed sacramentaliter, sed pro subiecta rei materia. Non pugnamus cum Christi verbis, sed cum fictitia & à significatione sacramentorum aliena verborum interpretatione.

Ab analogia rerum signatarum & ratione permutationis nominum.

Enimuero ea est sacramentorũ symbolorumq; natura, vt nõ modo ipsius rei nomen persæpe sortiãtur: sed vice versa rebus ipsis sua nomina non raro tribuant. Ita Christus non modo panem dicit esse suum illud corpus quod pro nobis in cruce tradidit: sed corpus etiã ipsum panẽ esse asseuerat, qui de cœlo descẽdit. Quorũ in altero cum metamorphosin nemo statuat: sed ex natura signi omnes interpretandũ censeãt: Quid causæ est, cur in altero vel transubstantiationẽ vel cõsubstantiationẽ somniemus? Paulus etiã ait, Nos omnes sumus vnus panis & vnũ corpus, quippe qui de vno pane vescimur. Quis hic recurrit ad immensitatẽ potentiæ diuinæ, quasi ea nos omnes facile queat in vnum panẽ conuertere? Quis non potius ex materia rei subiectæ, nimirũ ex rei signatæ ad signum analogia, verba interpretatur? Quamobrem igitur vereamur & verba ipsa Christi ex analogia signi ad rẽ signatã potius quã vel ex vocabulorũ superstitiosa obseruatione, vel ex omnipotẽtiæ diuinæ immẽsitate æstimare? presertim cum ratio huiusce nominũ permutationis in medio sit posita.

Sed malo eam Theodoreti verbis explicari. Is Erastinen

seu hæreticum inducit interrogantem, quare Christus rerum ac symbolorum nomina inter se transmutarit. Ac respondet, scopum huius rei manifestũ esse, ijs qui sint rebus diuinis initiati. Voluit enim inquit, eos qui diuina hæc sumunt mysteria. non ad ipsam naturam rerum sub aspectu cadentium obstupescere, sed ea nominũ permutatione adduci vt credant mutationi quæ fit per gratiam. Ille enim qui corpus panem appellauit, & sese vitem nominauit, hæc aspectabilia symbola corporis ac sanguinis nomine decorauit, non quod naturam immutaret sed quod gratiã vel beneficium naturæ adderet, &c.

Non temere itaque hoc consilio vsus est Iesus Christus, non vt aliquam substantiarum commixtionem præter naturam proponeret: sed vt ad inuisibilem atque adeo incomprehensibilem Dei gratiam oculis fidei intuendam, hac sacramentorum appellatione, quasi commodo aliquo vehiculo animos nostros eueheret: Ne videlicet in terrenis hęrerent symbolis: sed ad efficaciam spiritus interiorem ijs verbis quam significantissimis expressam, fidei oculos attollerent. Frustra itaq; inducitur naturę perturbatio. Est enim hoc axioma verissimum.

Regula communis ex superioribus locis conclusa.

Omnino nunquam tribui sacramentis nomen rei significatæ, quin symbolice illud ac sacramentaliter, non realiter neq; substantialiter sit explicandum.

Ab exemplis.

Exemplorum copiam superpeditabit, omnium pene sacramentorũ, sacrificiorũ, symbolorumq; institutio. Ac initio quidem geneseos, Arbor quæ in symbolũ vitæ data erat, vitę arbor nominatur: Quę in symbolũ scientiæ boni & mali posita erat, Arbor sciẽtię dicitur. Mox signũ ac sacramentũ fœderis, fœdus ipsum Dei nuncupatur. Gen. 17. Paulo post. Gen. 28. Lapis quẽ Iacob statuit in symbolum Bethel vel domus Dei, ipsa domus Dei appellatur, locus ipse & domus Dei & Deus de Bethel dicitur. Moses non dubitabat appellare aram quam Domino extruxit, Iehouah Nisi, id est, æternus ille Deus vexillum meum vel exaltatio mea. Symbolum illius phase, omnia deniq; sacrificia

Exod. 17. expiationes nominantur vel purgationes: cum tantum essent symbola & sacramẽta illius veræ expiationis & veri illius agni Iesu Christi. Arca fœderis certissimum præsentiæ & maiestatis atq; adeo auxilij diuini symbolum, Iehouah exercituũ ac Deus

viuus

viuus persæpe nominatur. Quæ sane omnia cogimur ex natura symbolorum, hoc est, symbolicôs ac tropice interpretari. Tit 3. Acto.22. Galat.4. Rom.6. Coloss.2.

In nouo porro Testamento baptismus dicitur ablutio peccatorum & regeneratio spiritualis: Item in baptismo dicitur indui Christus, & nos ei commori & sæpeliri dicimur, & infinita alia huiusmodi, quæ ex superiori certissima ac perpetua regula pro analogia sacramentorum debent necessario per tropum explicari.

Contrà etiam, cum res ipsæ symbolis tribuuntur, eadem explicatione vtendum est, nisi à symbolorum natura ac genuino scripturæ sensu volumus aberrare. Christus dicitur agnus, quod agnus fuerit Christi sacramentum: dicitur petra, & contrà petra dicitur Christus. Dicitur propitiatorium: cœlum ipsum vocatur sancta sanctorum & tabernaculum. Angeli dicuntur Cherubim. Quid multa? Quicunq; primis labris scripturam attigerunt, intelligunt sanè regulam hanc nostram esse veram, firmam ac perpetuam. Itaq; fallitur noster Antagonista, qui ex singularibus existimat nos ratiocinari. Hactenus itaq; de definitione, notatione nominis, natura & perpetua sacramentorum Analogia. Hæc in psalmis non raro occurrunt.

A partibus Sacramenti.

Sequuntur partes sacramenti. Eas esse duas tantum, nemo est, qui ambigat: cœlestem nimirum aut inuisibilem gratiam, & signum visibile. Iam certum est in cœna panem signum esse visibile, corpus rem cœlestem. Præter hæc nihil est, quod desideretur amplius. In quo aduersarij haud quaquam sibi constant: Iam enim volunt corpus esse sui ipsius sacramentum: Iam fingunt, non ipsum corpus, sed aliud quippiam è corpore manans esse gratiam inuisibilem: Sed quoquo se vertant, vel corpus Christi terrestre faciant, necesse est: vel inuisibilis gratiæ participes impios ac fide prorsus vacantes: Quorum in alterutro hærent. Nam corpus quidem esse signum visibile ac terrestre, & sensus communis & ipsa eorum doctrina repudiat. Gratiam vero inuisibilem ac cœlestem conferri impijs, ratio reclamat, nec ipsi apertè audent pronuntiare. Quamobrem si hasce duas partes integras atq; inconfusas retinere volumus, omnis procul dubio crassa realis præsentiæ & consubstantiationis imaginatio abijcienda est.

A causa efficiente promißione videlicet.

Si porro causam ipsam efficientem sacramenti consyderemus, profecto fiet perspicuum Christi verba symbolicôs vel tropice debere intelligi. Omnino causa efficiens sacramentorum est promisio verbi diuini: promisio nisi fide non potest accipi. Ac sane nihil est quod fides corporali modo amplecti queat. Relinquitur igitur in hac sacramenti promisione, corporalem omnem intuitum debere amoueri. Id ipsum docet Augustinus vulgatissima sententia. Quid paras dentes & ventrem? crede & manducasti.

A fine promißonis.

Præterea in omnibus sacramentis quæcunque annectitur promisio, ea fit non symboli respectu, sed eorum, qui fide promisionem amplectuntur. Ita cum baptismus dicitur lauacrum regenerationis, id non fit in aquæ gratiam, sed eorum qui per fidem baptismo initiantur: Cum circumcisio dicitur fœdus, animus non ad illam actionem conuertendus est (nec enim Deus cum circumcisione fœdus paciscitur) sed ad fideles ipsos, ad quos sermo instituitur. Item cum calix ipse nouum fœdus in sanguine appellatur: sane non est existimandum calici hanc tribui dignitatem: aut illi poculo aliquid conferri beneficij, sed fidelibus, qui poculum illud in ratificationem fœderis sanguine concepti hauriunt. Quis iam non idem in pane existimandum videt? Nimirum non ad panem fieri sermonem: neque panem vel conuerti in corpus: vel aliqua miraculosa gratia corpori vniri (Nec enim Christus pani vult benefacere sed suis discipulis) verum in eorum gratiam, qui pane illo sumpto, indubitate credunt, corpus Christi pro sese datum, vt eo per fidem nutriantur, panis notatur nomine corporis, nempe quo certiori fide promisionem amplectantur.

Quæ sit promißio.

Ex quo facile potest æstimari, in quo huius sacramenti consistat promisio. Noster Antagonista vult hic promitti realem vnionem corporis Christi cum pane. Quod si ita est, iam panis maius consequatur beneficium, quam ipsi fideles, necesse sit. Quamobrem propius verba sunt intuenda. Christus ait. Accipite edite, Hoc est corpus meum. Initio proponitur mandatum: Ei promisio annectitur: Sane mandatum ad Apostolos solos

Ab analogia mandati ad promisionem.

ſolos ſpectat: promiſsionem noſtri aduerſarij etiam ad panem pertinere contendunt: Quod ſane eſt perquam abſurdum.

A promißionis ſubſtantia.

Sed primum animaduertendum eſt hanc loquendi formulam, nullam omnino promiſsionis habere ſpeciem: Eſſe tamen promiſsionem, apud omnes in confeſſo habetur. In baptiſmo proponitur primum quidem mandatum, Baptiſate. Mox adiungitur promiſsio. Quicunque crediderit & baptiſatus fuerit ſaluus erit: Eadem promiſsio alijs verbis ita exprimitur à Petro: per baptiſmum nos ſaluos factos. Præterea Chriſtus inquit, Quicunque non fuerit baptiſatus ex ſpiritu & aqua, non introibit in regnum Dei. Hæc eſt clara promiſsio: Eadem ita redditur à Paulo, Baptiſmum eſſe lauacrum regenerationis. Dominus clare promittit ſeſe facturum fœdus cum Abrahamo, & fore illi in Deum & protectorem. Id ipſum circuncisionis ſymbolo vult confirmari. Mox ait, circuncisionem eſſe fœdus ſuum. An non hic manifeſtum fit his verbis hanc promiſsionem contineri, Quicunque crediderit & circuncisus fuerit, cenſebitur in meo fœdere? Idem videre eſt in agno paſchali. Is dicitur Phaſe, id eſt, tranſitus. Ea ratio loquendi per promiſsionem explicatur hoc modo. Quicunque ſanguine agni poſtes illiuerit, ab interitu per angeli tranſitum erit immunis. Ex quo patet, quomodo in huiuſmodi affirmatiuis ac ſubſtantialibus loquendi formis conſtet ac reſoluenda ſit integra promiſsio. Quis igitur negabit, quin hæc verba, Bibite, Hoc eſt fœdus nouum in meo ſanguine, ita accipi debeant, quaſi dixerit, Quiſquis crediderit meum ſanguinem pro ſe eſſe profuſum in peccatorum remiſsionem, Is in hoc meo nouo fœdere ſanguine ſancito cenſebitur? Hæc vero, Edite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur, debere reſolui in huiuſmodi aliquam promiſsionem. Quicunque crediderit corpus meum pro ſeſe traditum, & hoc fide credit: Is procul dubio corporis mei per fidem fiet particeps vel Quotieſcunq; hoc feceritis in mei memoriã facietis: vel vt ait Paulus, Panis quem frangimus eſt communio corporis Chriſti? Quæ ſane promiſsiones omnes eodem redeunt. Atqui ex ijs facile intelligitur, nullam in his Chriſti verbis ſtabiliri vnionem panis cum corpore: ſed quam efficaciſsime explicari promiſsionem coniunctionis fidelium cum Chriſto quæ non minus arcta eſſe declaratur quam ſit panis ipſius cum corpore.

A ratione mandati.

Adhæc quis dubitabit ex ratione mandati promisſionem annexam interpretari? Quod ſi diligenter aduertimus, facile omnis decidetur controuerſia. Iubet Chriſtus accipi & edi. Quid tandem? ipſum ne corpus? Fac ita eſſe At quomodo? An corporaliter? Id profecto nemo ſanus concedet. Quis enim fatetur Chriſti corpus quod in cruce pro nobis fuit fractum, fuiſſe, primum quidem à Chriſto ipſo, deinde ab Apoſtolis tractatum manibus & ore corporeo poſtea manducatum? Sane Chriſto, eiusq; corpore niſi fide veſci nemo poteſt, Si vera eſt ipſa veritas quæ ait. Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me, non eſuriet: & qui in me credit, non ſitiet in æternum.

Quod ſi Chriſti corpus non poteſt ad vitam cõſequendam ac repellendam famẽ ſpiritualem, niſi fide ac ſpiritualiter manducari: Iubet tamen Chriſtus id manducari in cœna: Dicemus ne, aliter manducari, cum ex eo vita & ſpiritualis nutritio quæritur? aliter dum eandem nutritionem ac vitam panis ſymbolo nobis proponit? Hæc quidem haud video, quomodo poſsint intelligi. Quamobrem haud dubium eſt, quin Chriſtus ſymbolum quidem ipſum corporaliter manibus velit accipi, dentibus teri, & in ſtomachum demitti (hæc enim omnia notantur verbo edendi) corpus vero ipſum, quod ſymbolo ſignificatur, fide ac ſpiritu (vt ante docuerat) nobiſcum vniri.

A fine Sacramenti de quo agitur & ab effectis.

Sed quis tandem eſt finis ac ſcopus huius ſacramenti? An non commemorare Chriſti mortem? Omnino. An non viuere in Chriſto & fieri os ex oſsibus eius & caro ex carne eius? Et id quidem eſt extra controuerſiam. Iam hos fines quomodo poſſimus conſequi? Num corporali aliqua manducatione? Ego quidem non exiſtimo. Et Paulus certe ait, ſeſe non amplius viuere, ſed Chriſtum in ſeſe. Id nequis ad corporalem vitam referret ſubijcit Quod autem nunc in carne viuo, id vero nihil obſtat, quò minus fide viuam in filio Dei qui me dilexit & ſeſe pro me obtulit Hic videmus fide vitam illam in ſacramentis propoſitam acquiri, dum Chriſtum credimus pro nobis oblatum, & (vt paulo ante docuerat) nobis perſuademus, non operibus legis ſed fide Chriſti iuſtitiam ac vitam eſſe adeptos, in eaq; per ſpiritus ſancti regenerationem adoleſcimus.

Idem

Idem deprecatur pro Ephesijs, vt in hominem interiorem ſpiritus ſancti virtute corroborentur & Christus in eorum cordibus per fidem habitet. Teſtatur etiam Corinthios vocatos in communionem Chriſti per Euangelium. Et vero ait Chriſtum nos ſibi cooptaſſe in membra corporis ſui, in carnem & oſſa ſua: adeoq; vere caput fidelium eſſe, ex quo ſingula membra per commiſſuras compacta, corporis incrementum ac robur mutuentur. 1.Cor.1. Ephes.5.

Quod ſi igitur finem ipſum in cœna propoſitum conſequimur fide ac ſpiritu, non corpore neq; corporaliter: Quid cauſæ eſt, quamobrem ab hoc certo ac ſalutari ſcopo ad externam & corporalem coniunctionem euagari debeamus?

Effecta ſane ac virtus manducationis Chriſti corporis, nimirum fidei confirmatio, ac mortis eius memoria, non ſunt corporalia: Ne ipſa quidem igitur manducatio corporalis habenda eſt.

A ſimilibus.

Si à ſimilibus rationem petimus, infinita ſimilia ſuppetunt, omnia ſacramentorum exempla. Ac imprimis agnus ille paſchalis, cuius inſtitutio in hanc præſentem ſacramenti celebrationem conuerſa eſt: Quemadmodum in circumciſionis locum ſuffectus eſt baptiſmus. Is autem procul dubio non modo liberationis ſignificatæ nomen accipit: ſed Chriſto ipſi, cuius ſanguis eo figurabatur, nomen ſuum tribuit. Quod ſi igitur ex circumciſionis ratione non dubitamus infantes ad baptiſmum adhibere: Quis cunctabitur ex agni paſcalis ratione, huius ſacramenti interpretationem deſumere? Atq; hi ſunt pene omnes præcipui loci, è quibus explicationis ratio peti debet ea, quæ ad ſubiectæ rei naturam pertinet. Reſtant ij qui in verborum proprietate verſantur: Ac tum demum, qui petuntur ex circumſtantijs.

A verborum proprietate & à natura diſparatorum.

Sane ſi verba attente inſpicimus, nihil eſt, quod nos ab hac ſententia ad corporalem aliquam manducandi rationem abducat & tropicam expoſitionem è manibus excutiat. Horrenda enim fuerit blaſphemia, ſine tropo exiſtimare, corruptibile elementum Chriſtum ipſum eſſe.

Deinde certa eſt regula, Quoties duo diſparata alterum di-

citur de altero, necessario ad tropum esse recurrendum nisi forte ex alijs infinitis indicijs omnino constet, Dei certissimam esse voluntatem, vt contra rerum ordinem, duorum disparatorum inseparabilis fiat vnio: Quemadmodum in vnione diuinitatis cum humanitate non vna substantiui verbi prædicatione, sed infinitis ac certissimis testimonijs comprobatur: In qua sola realis disparatorum vnio potest intelligi.

A verbis adiunctis.

In hoc vero argumento, quem vel fideliorem, vel commodiorem interpretem quærimus quam Christum ipsum, qui de calice ait, esse nouum fœdus in suo sanguine? Quod sane nemo nisi prorsus amens sine tropo intelligat. Et quidem palam est, idem de pane dici posse, esse scilicet nouum fœdus in Christi corpore. Hic autem tropus idem est ac propemodum ijsdem verbis expressus, atq; ille circũcisionis cum ait dominus, Hoc est fœdus meum quod pepigi vobiscum. Nam & Paulus fœdus illud cum Abraham initum nouum fœdus esse asserit, iustitiæ nimirum gratuitæ: Et in sanguine factum esse docet Apostolus ad Hebræos, qui exrra hunc Christi sanguinem nullam non modo fidei iustitiam, sed ne remissionem quidem peccatorum constare pronuntiat. Itaq; cum res sit vtrobiq; eadem: verba etiam quam minimum discrepent: Non est dubitandum, quin explicandi ratio per omnia conueniat.

Deinde quidem Christus iubet nos hæc facere in sui commemorationem donec veniat. Sane si præsens eodem illo corpore, quo mortem obijt, adesset, nihil opus foret, quasi absentis mortem commemorare donec veniret. Quin potius ad eius aduentum in sacramentis cessare deberet omnis commemoratio. Ex quo facile apparet, quid Christus senserit.

Paulus vero cum verbum corporis non dubitauit in corporis communionem conuertere, Annon hac luce clarius significauit, nullam vnionem in pane debere fingi: sed tantum in fidelibus, qui in Christi communionem fide recipiuntur? Et simul declarauit, Christi verba nõ posse, nisi per tropum accipi? Nisi quis rixetur corpus esse sui ipsius communionem.

A symbolorum distractione.

Quid vero quod hæc rerum indiuidue vnitarum symbola distracta sunt? An non satis ostendit nullam realitatem debere introduci? Sed hæc dabitur locus paulo amplius tractandi, cum aduersario respondebimus.

A cir-

A circumstantijs.

Reliquum est vt circumstancias expendamus. Eæ profecto omnes, nisi plane à nobis faciunt, prorsus cæcutio.

Christus iam ante docuerat, sese esse verum panem, qui de cœlo descendit ad vitam hominibus impertiendam: iusseratq; carnem suã vel corpus edi sanguinemq; bibi: Alioqui nullum in nobis ne vitæ quidem vestigium extare posse. Cum de hac doctrina orta esset disceptatio, ipse manifeste docuerat, non corporis sed spiritus escam sese fore, quæ non corpore, sed fide accipi deberet. I.

Cum autem iam tempus instaret, quo re ipsa declarandum erat sese à patre in panem ac vitam humani generis datum: proponit primum epulum, in quo fœderis diuini cum patribus pridem concepti, & mesiæ veri illius agni (qui corã tondente obmutesceret & omniũ nostrũ peccatis oneraretur) quondam promisi, certisima symbola statueret ob oculos: Epulum illud agni paschalis quo fœdus domini sanguine sancitũ significantisime exprimebatur. Et quidem non est dubium quin tam eximius doctor multis verbis illis explicarit eius symboli significationem, vim atq; efficaciam (Nec enim possunt sacramenta à verbi doctrina separari) & simul docuerit eius rei veritatem in sese iam esse perfectam. Se enim esse illum agnum, cuius sanguine Dei populus ab internecione & morte sempiterna liberetur. Quemadmodum enim ipsius Aegyptiacæ liberationis symbolum & commemoratio illis in agno proposita fuerat: Ita vult hanc longe præstantiorem liberationem etiam significantioribus symbolis exprimi ac celebrari. Quod vt faciat, proponit ea quæ sunt omniũ ad vitam humanam maxime necessaria: eaq; corporis sui ac sanguinis nomine insignit (declarans non posse aliunde vitam & salutem nos haurire) Quemadmodum antea agnum ipsum transitus nomine ex Dei verbo insignierat: Adeo vt cum Apostoli ab illo agni paschalis symbolo ad hoc panis viniq; sacramentum vocarentur: facile quo quidq; modo diceretur, intelligerent: & quemadmodum paulo ante ab illius visibilis agni consideratione ad fœderis diuini in transitum agni ratificationem reuocati fuerãt: Ita nunc ab illis panis viniq; præsentibus signis, ad recolendam ipsius corporis & sanguinis dominici vim viuificam ac nutritiam sese conuerterent. II.

III. Præterea multis ante verbis Christus suam illis mortem ac sepulturam prædixerat. Id vnum profecto satis fuerat, quod eorum animos ab omni carnalis manducationis cogitatione auocaret.

IIII. Ac postea cum panem tradit, nemo est, qui miretur, suum corpus id eum appellare cum viderent omnes, verum eius corpus illic accumbere. Didicerant scilicet eius corpus nullo loco contineri: qui vix aliud in eo quam naturam humanam ac mortalem & regni terreni spem concipiebant. Quod si ita est, cur non mirabantur de illius morte se audire, quem ad immensa locorum spatia extendi credebant. Sed nihil est minus. Norant enim vulgatissimum esse loquendi vsum, vt cum quis de morte iam iam instante mentionem faceret, soleret plerunq; intimis suis ac familiaribus aliquod symbolum in sui commemorationem proponere, atq; ipsum illud suijpsius nomine ad maiorem emphasin insignire.

V. Quod cum esset apud omnes gentes vsitatum: tum sane Hebræis ipsis erat, quodammodo peculiare: Solent enim illi vt plurimum etiamnum hodie rerum nomina signis ac symbolis tribuere. Atq; adeo in eo versatur prope omnis eius linguæ & ornatus & efficacia: Cuius mihi rei testes erunt, quicunq; sunt in ea vel mediocriter exercitati.

VI. Paulo post vident Apostoli Christum capi, vinciri, ad iudices trahi, in crucem figi, commori etiam ac terræ denique committi. Quo spectaculo animos pene despondent. Cur non veniebat hoc eis in mentem, tanti ac tam portentosi miraculi? panem fuisse eius corpus? Ita non esse verisimile, illud ipsum corpus, quod per infinita locorum spatia explicatum esset, vel fixum esse cruci, vel clausum monumento.

VII. Quid? cum illis de integro solita illa sua forma apparet? Terrentur, credunt esse spectrum. Christus autem vt eos ad mentem reuocet, sumit argumentum, non illud quidem sumptum ab immensitate suæ potentiæ, quæ corpus etiam in terra consepultum posset illis realiter præsens exhibere: quippe quod nullo clauderetur loco: Sed à vera corporis natura. Palpate, inquit, & videte spiritus carnem & ossa non habet. Cur hic tam facile acquiescunt Apostoli, si sciunt illud ipsum corpus realiter ac substantialiter in panis frustis ita delituisse vt neque oculorum neq; manuum sensu posset comprehendi?

Quid?

Quid? cum Angeli respondent, Eum non esse in sepulchro? cur non meminerunt vbiq; eum esse & quidem ipso etiam corpore? Nimirum nondum attigerant hanc philosophiæ vbiquitatiuæ partem rudes adhuc Apostoli: Sed nolo esse prolixior. Satis enim apparet cuiuis ex præiudicata opinione nō præfracto, nihil de illa coitione substantiarum diuersissimarū contra omnem & naturæ ordinem & sensuum iudicium, Apostolos ne per somnum quidem cogitauisse: sed simpliciter Christi verba ab vnius sacramenti celebratione ad celebrationem alterius accommodauisse. Itaque perspicuum est omnes omnino circumstantias à nobis stare. VIII.

Atq; hæc fere sunt argumenta, quibus adducimur, vt certo statuamus verba Christi tropice ac per figuram sacramentis peculiarem esse interpretanda.

Cætera quæ producit Antagonista, potius ad confutandam aduersariorum realitatem quam ad nostram interpretationem stabiliendam pertinent. Itaque videamus quid illi pro se afferant.

Propositio Argumentorum aduersariorum.

Equidem vel prorsus cęcutio, vel plane nihil animaduerto, quo vel probabiliter suam confirment sententiam: præter sola Christi verba, Hoc est corpus meū. Ea clamant esse aperta, perspicua, dilucida, in mortis extremo pene puncto pronunciata: Itaq; non debere tropum admitti. Quod si negamus verba sine tropo posse intelligi, quia alioqui Christus fuerit alio quam vero & humano corpore fingendus: Illi multa de potentia Dei copiose disputant: quasi à nobis ea vocetur in dubium: Aiunt nihil esse omnino, quod Deus non posit, quod quidem velit: velle autem vt panis hic sit corpus Christi pro confesso sumunt. Exinde concludunt: posse igitur vel ex pane efficere vel pani substantialiter iungere suum corpus.

Mox quasi omnipotentiæ diuinę obliti ad naturarū vnionem confugiunt qua docent Christum sua natura esse omnibus locis: Ex qua ducunt argumentum: Esse igitur substantialiter vnitū pani, cum ita velle omnino cōstet: Quod ego quomodo cohæreat non video. Primum enim volunt ex verbi diuini potentia Christum sacramento esse vnitum realiter: Mox contendunt, id fieri ex vnione naturarum: Quod si ita est, Iam

vel verborum sacramentalium, quibus tantopere insistunt, nullus erit vsus: vel certe alia omnino ac diuersa præsentia Christi corpus aderit realiter in sacramento, atq; in cæteris omnibus rebus: Et ita erit de vnione naturarum disputatio superuacanea. Sed videamus ordine quibus effugijs nostras obiectiones euitet aduersarius.

ANIMADVERSIO IN CONFVTAtionem nostrorum argumentorum propositam ab Aduersario.

AD I. ARGVMENTVM SVMPTVM *à proprietate naturæ humanæ quæ fuit in Christo.*

PRimum proponit nostrum argumentum ex humanæ naturæ proprietate sumptum. Nempe, Quia Christus naturam nostræ per omnia similem assumpserit, ideo fieri non posse, vt loco ac dimensione non contineatur: Quod tamen fuerit necesse, statuta in verbis Christi realitate: Atq; id vult sumptũ videri ex physicis principijs. Nimirum plane, quemadmodum illud Christi, Palpate & videte, Spiritus carnẽ & ossa nõ habet. Tamen concedit etiam scriptura suffultum videri, nimirum locis Pauli ad Hebræos cap. 2 & 4. & ad Philip. 2. Tamen eius aciem, primum quidem & potiss. omnipotentiæ diuinæ clypeo retundit: quam non vult ad proprietatem naturalem restringi cum constet aliter eum velle: præsertim cum omnibus etiã hominibus, nedum Christi corpori possit vbiquitatem tribuere. Localem enim positionem corporis non ad rei substantiã pertinere: Itaq; illa integra, posse vel adesse vel abesse. Id confirmat à dimensionum penetratione, quam colligit ex Matt. 28. & Ioa. 20. Deinde tamen maximam statuit dissimilitudinem inter corpus Christi & cæterorũ hominũ. Postremo ait in cœna expressam esse voluntatem: quia sit seria asseueratio filij Dei, non historica tantum narratio. Ex quo denuo iniecta omnipotentia concludit Cinglianos perperam ac futiliter reijcere præsentiam Christi in cœna, solo nomine proprietatis naturalis.

Velim profecto dari mihi hîc aliquem æquũ iudicem, qui nullo præiudicio rem omnem æstimet: Facile enim demonstra

ro nostrum argumentum non modo non conuelli hac respon sione, sed potius stabiliri Imo vero perspicuũ fecero, hunc Antagonistam nostri argumenti pondus, vel omnino non intellexisse, vel certe malæ fidei astu dissimulasse.

Propositio Argumenti primi.

Nos enim negamus Christum omnino voluisse, vt eius verba ad realitatem vel præsentiã realem contorquerentur. Quod ita demonstramus: Quia alioqui corpus nostro per omnia dissimile: Imò vero corpus non dimensum, id est, non corporeum habuisse illum necesse fuerit: Atq; adeo non potuisse huiusmodi corpore vel crucifigi, vel mori, vel denique veri sacerdotis partes obire.

Hic primum sumit pro confesso quod est vnum in controuersia, nempe omnino eum voluisse, vt realiter adesset pani in cœna: & ex eo efficit, ergo & potuisse: Et quasi nos illud concesserimus versatur in hoc vno confirmando de quo nemo est qui ambigat, videlicet, nihil Deum velle quod non posit.

Alterum membrum, nimirum, An primum quidem ad veri corporis naturam? Tum etiam, nũ ad eius corporis, in quo per crucem & mortem salus nobis parta sit, rationem pertineat, loco ac dimensione corporea circumscriptum esse vix leuiter attingit: Et tamen quasi re bene gesta, quod vult, concludit.

Verum, si voluntate non probata, ad potentiam Dei licet confugere: Quid vetat cur minus & nos hac methodo ratiocinemur? Deus vult panem esse tantum sacramentaliter corpus Christi non realiter: quia realiter vult corpus Christi esse carnem & ossa: Ergo etiam id ipsum potest. Quicquid enim vult idem potest. Illi si negabunt velle, nos hac relicta controuersia potentiam eius nullis posse finibus circumscribi clamabimus. An non hæc sint risu & ludibrio excipienda? Et tamen ex huiusmodi fontibus oritur omnis illorum tam magnifica de omnipotentia Dei disputatio. Quasi vero nos ideo negemus Christi corpus realiter pani coniunctum, quia velit aliquid quod non posit: Ac non potius quia voluerit Christus corpus per omnia nostro simile habere excepto peccato: Quam suam voluntatem manifeste ac disertis verbis & quidem locis infinitis declararit: Ideo non

non modo non voluisse realem in cœna sui corporis præsentiam stabilire: Sed ne velle quidē omnino potuisse colligamus: Quod alioqui repugnantes in eo voluntates essent statuendæ. Quandoquidem constat, certam & expressam Dei voluntatem non debere incertis & ambiguis verborum ac syllabarum coniecturis obscurari: Sed contra: de incertis & cōtrouersis vocum interpretationibus ex ijs quæ sunt explorata debere statui.

Non negamus igitur voluisse Christum, vt panis ille sacramentarius suum esset corpus: Sed vt realiter pani coniunctum esset corpus: vt substantialiter verba acciperentur: vt vel transsubstantiatio, vel consubstantiatio induceretur: Id vero pernegamus non modo eum voluisse, sed ne velle quidem potuisse: Quandiu certe nobis eius expressa de corporis sui natura voluntas constabit: Tamdiu autem constare debebit, quoad illi aliquo scripturæ testimonio euicerint Christi corpus quantitate atq; dimensione cęteris hominū corporibus fuisse dissimile. Probent igitur voluisse Christum corpus suum pani realiter coniungere (De eo enim vno est omnis nostra disceptatio) Ita demum de Dei potentia locum disputandi illis dabimus: Hoc vt statuat hic noster Antagonista, animaduerte quæso benigne lector, quo vtatur genere argumentandi.

Ad argumentum aduersarij de seria filij Dei asseueratione in cœna.

Christus, inquit, Dei filius serio asseuerat: Ergo realis præsentia est inducenda. Cedo quid tandem asseuerat Dei filius? An non panem illum, quem in manus sumpserat, quem fregerat, quem benedixerat, quem deniq; discipulis edendum dederat, suum esse corpus quod pro nobis erat tradendum? Omnino. Cur igitur hanc tam seriam filij Dei asseuerationem eludit hic tam diligens verborum æstimator? Cur negat panem esse Christi corpus? Quare suam nobis confictam obtrudit præsentiam? Cur non potius ingenue fatentur, panem pro nobis esse traditum, pro nobis crucifixum? Quare non patitur poculum ipsum in cæna exhibitum esse ipsissimum filij Dei sanguinem quo à peccatis redempti simus? An ignorat non historicam esse narrationem, sed seriam filij Dei asseuerationem? Sed ait, fieri non posse, vt panis, qui est elementum corruptibile pro nobis in

bis in cruce satis fecerit. Quid ita? An Deus iam non est omnipotens? An quod vult, idem etiam non potest? At quo tandem oraculo doctus est, Christum potius velle, vt corpus eius pani realiter vniretur (quod nusquam omnino traditur) quam vt panis ipse corpus eius esset realiter ac substantialiter, quod disertissimis ab eo verbis exprimitur? Aut quare Deus cum omnia posit, minus vnum posit quam alterum? Viden' lector à filij Dei seria asseueratione eum discedere? Imo vero conficta nescio qua reali vnione ipsam verborum proprietatem eludere?

Sed demus tamen hanc vnionem ex Christi verbis consequi (quod est falsissimum) An idcirco statim verba realiter accipi debebunt omni figurata intepretatione exclusa? nimirum quia sit seria asseueratio filij Dei? Nequaquam profecto. Sed fiat exemplo res clarior. Christus idē ille Dei vnicus filius, vbi suam cum Ecclesia mirificam atq; inenarrabilem vnionem ponit ob oculos, serio asseuerat se esse vitem, nec vitem tantum sed veram vitem. in quo sane maxima est emphasis. An idcirco cōsequitur, corporalem quandam aut realem esse vnionem Christi cum vite? præsertim cum Dei omnipotentia Christi corpus non minus ad vitis quam ad panis substantiam posit extendere. Ego sane non arbitror. Tamen si nostri aduersarij ratio locum habet, nimirum quia sit non historica narratio sed seria filij Dei asseueratio ob eam causam non posse euitari realem cōiunctionem vnius cum altero: Christus non modo vitis, sed ostium, sed agnus, sed petra fiat necesse est. Valeāt igitur tam friuolæ atq; insipidæ probationes, quæ cum ipsę pondus nullum habeant nec ad statum controuersię quicquam faciant: magnis tamen de Dei potentia ampullis ad oculos lectorum perstringendos intumescunt. Nos vero quoties immēsam illam omnipotentiam obtrudent, toties controuersiam ad quæstionē subiectam reuocemus & postulemus ostendi primum, illam esse Dei voluntatem vt realitas introducatur.

De Dei omnipotentia.

Sed quę tandem est ista omnipotentia, qua non modo rerum naturam, sed res etiam ipsas à diuina potentia, perpetuo atq; immobili ordine constitutas necesse sit interire? Quod si Deus omnia potest, potest & se ipsum negare, potest & beneficij dati pœnitere. Vtrunq; tamen Paulus negat.

Si dixerint ne velle quidem illa Deum: fatebimur: sed idem illis responsum dabimus, nempe non velle omnino, vt Christi corpus vel alia constet quam carnea substantia, vel cum alia rea liter vniatur. Si verbis insistunt, & nos verbis disertissimis Dei pœnitentiã astruemus. Negant hæc esse paria: fateor equidẽ in multis esse imparia, tamen in eo conuenire liquet, quod vtrunque ex verbis disertis in scriptura colligitur: vtrunque tamen diuinæ repugnat voluntati: atque adeo neutrum omnipotentiæ Clypeo defendi potest. Quoties igitur quis vrgebit ex verbis scripturæ Deum pœnitere dati beneficij, fatebor propositionem esse verissimam: Sin autem addet de suo, id realiter ac substantialiter debere intelligi: Tum obijciam id fieri omnino non posse: Deum enim non esse similem homini quem posit pœnitere, aut qui se posit abnegare: & irreuocabilia esse Dei dona cum Paulo libere pronunciabo. Eodẽ plane modo, si dixeris panem esse corpus Christi, quia domini verba agnosco, fateor esse verissima: si addis de tuo vel realiter panem esse corpus vel substantialiter cõiunctum corpori, affirmatiue testabor, fieri id omnino non posse, quippe quod repugnet, non modo sacramentorum analogiæ, definitioni, nomini, partibus, toti denique naturæ: sed ipsi etiam manifestissimæ Dei voluntati, qui Christi corpus nostro per omnia simile dare voluit.

Omnino igitur fatemur cum Augustino de ciuitate Dei libro 5. cap. 10. Et contra Faustũ lib. 26. cap. 5. Cum Theodoreto in dialogo qui dicitur Apathus: Imovero cum Paulo ipso nonnulla dici posse, quæ Deus præstare nequeat: non modo quia nõ velit: sed quia neq; posit velle, neq; velit posse: vtpote quod eius efficaci potentiæ aduersentur. Cum enim potentia eius indiuiduo nexu cum veritate sit copulata, quicquid verum est, id sane eius omnipotentia falsum efficere (quamdiu quidem verum est) nequeat. Alioqui falsum sit facere eum quæcunq; velit facere, si quæ velit facere eadem faciat vt non sint. Quæcunq; igitur contradictionem in oratione adferunt ea quia Dei potẽtię aduersantur ideo ad eius omniporentiã referri nequeũt.

Confirmatio Argumenti primi A natura & definitione corporis sumpta

Cum autem Deus velit, & quidem potenter efficiat, vt omne corpus sit corpus, necessario sequitur, non posse eum efficere, vt

re,vt quod velit esse corpus,idem non sit corpus:Atq; id vnum tamen postulant aduersarij : & nobis grauiter succensent quod nolimus à Christi corpore naturam auferre corpoream:At certe vel quid sit corpus nesciunt,vel scire se dissimulāt: Nec enim veretur noster Antagonista pronuntiare,corpus aliquod quantum esse,dimensum esse,& loco contineri, esse tantum accidentiā,quæ à substantia tolli queant. In quo ludit ambigua voce substantiæ. Fatemur enim sine substantiæ interitu, dimensionem tolli posse : At vero illam posse eripi à substātia corporea: id vero omnino pernegamus.Sunt,inquit, accidētia vt corpus sit paruum aut magnum,album aut nigrū, moueatur loco certo,aut in eodem cōsistat. Quid hoc ad rem ? An quia magnum aut paruum esse,hoc vel illo loco circumscribi,accidés est: Ideo etiam quantum esse,dimensione corporea constare, loco omnino comprehendi , erunt accidentia ? Quis non videat hæc esse falsissima ?Discrimina quidem quantitatis inter accidentia poni confitemur . Nec enim ita stupidi sumus vt iguoremus alia corpora tū magnitudine,tum loci situ ab alijs differre , nec minus tamen esse corpora Scimus etiam hæc fuisse in Christi corpore accidentia:primum quidem statura fuisse exigua ac puerili:deinde paulatim adoleuisse:Ac post in eam,quavisum fuit, magnitudinem excreuisse:potuit esse maius,potuit esse minus & tamen esse corpus: At vero vt vel Christi , vel aliud omnino corpus nulla omnino magnitudine constet, nulloq; loco consistat,id sane ne intelligentia quidem compræhendi queat.

Fatetur ipse noster Antagonista substantiales proprietates non posse tolli à corpore humano , nisi simul & corpus ipsum tollatur.In ijs ponit carnem,ossa,sanguinem,neruos,&cæt.Sed primum fallitur quod existimat has esse proprietates substantiales humani corporis,quę partes ipsę sunt totū constituentes: Deinde quod quasi de corpore humano &nō generatim de corpore sit quæstio , Ait , quantitatem esse accidentalem corporis humani proprietatem.In eo etiam bis peccat. Quantitas enim proprietas est nō quidem corporis humani sed corporis in vniuersum . Aliter enim sumimus corporis nomen , quando aliquid dicimus esse corpus , aliter cum humanum corpus sigillatim notamus.Corpus enim humanum altera pars est animalis ratione præditi nēpe hominis : At vero omniū omnino animaliū cómune genus est.Deinde non est accidētalis(vt ipse cen

ſet) proprietas,ſed plane ſubſtãtialis ipſius corporis. Corporeũ enim eſſe, nihil eſt aliud quam quantum eſſe, id eſt, dimenſione quantitatis conſtare. Corpus enim in quantitate dimenſio eſt, longitudinẽ, latitudinem & craſsitudinem obtinens: Sine qua proprietate nullum corpus non modo animatum ſed ne inanimatum quidem vel cogitari poteſt: Adeo vt dimẽſio corporea, non modo ſubſtantialis aliqua proprietas corporis habeatur: ſed ſit illa præcipua à dialecticis differentia ſpecifica dicta, quæ vna iuncta ſubſtantiæ, corpus conſtituit.

Quod enim noſter Antagoniſta corpus cum ſubſtantia ita commiſcet, quaſi corpus nihil aliud deſignet quam nudàm ſubſtantiam, etiam in eo labitur ſane quam pueriliter. Non enim vnam quamlibet ſubſtantiam ſignificat corpus (Alioqui angeli ac dæmones forent corpora) ſed ſubſtantiam corpoream, id eſt, longitudine, latitudine & profunditate conſtantẽ: Hæ enim dimenſiones ex nuda ſubſtantia corpus efficiunt. Eſt enim recte à philoſophis definitum omnem ſubſtantiam vel eſſe corpoream vel incorpoream. In incorpoream non cadunt dimenſiones, eaq; conſtituit ſpiritum: Corporea autem ſubſtantia ea eſt, quæcunq; dimenſionem corpoream recipit, per quam efficitur corpus: Adeovt nullum plane ſit corpus, niſi corporeum, id eſt, dimenſione corporea conſtans: Si tollis dimenſionẽ, iam reſtabit quidem ſubſtantia, ſed incorporea: Ita ne corpus quidem erit amplius. Hoc ſiquis neget, is eodem iure neget hominem eſſe hominem. Tantum enim eſt portentum hominem non eſſe hominem, quam corpus nõ eſſe corporeum, id eſt, nulla dimenſione corporea terminatum.

A corporis diuiſione & genere quantitatis.

Iam diuiditur omne corpus in animatum atq; inanimum, Ab animati differentia conſtituitur animal, non ſecus quam à differentia corporei corpus conſtitui diximus. Quod ſi igitur Chriſtum neges corporeum eſſe, id eſt, dimenſione corporea conſtantem, neceſſum eſt & ſimul animal eſſe neges: Si non eſt animal, ne homo quidem. Hinc iam facile animaduertat cordatus lector, quibus offucijs ac vocum ambiguitatibus aduerſarij nobis oculos conẽtur perſtringere, quando dimenſionem corpoream humani corporis ſubſtantialem eſſe proprietatem negant.

Verum-

Verumenimuero haud possum satis mirari, quamobrem cum videant alterum genus quantitatis, nempe, numerum, omnibus vel ipsis incorporeis substantijs debere tribui: Quare alterum genus, dimensionem nimirum continuam corpoream videlicet audeant à corpore tollere: Cum non minus Deo sit facile, ex vno eodemq; corpore plura corpora dimensione fabricare. Aut igitur relinquant dimensionem, aut numerum tollant: Atq; ita ex vno Christi corpore infinita sibi effingant: Aut si numerum seu discretam quantitatem relinquunt: ne dimensionem quidem corporibus omnibus propriam eripiant.

Quam vero est ridiculum ad conseruandam corporis naturam partes ipsas, nimirum, ossa sanguinem, neruos relinquere: dimensionem autem corpoream, sine qua ne partes quidem ipsæ fingi possunt, velle tollere? Quum vel pueri animaduertant sine harum partium aliqua, aut etiam pluribus, corpus humanum, & si vel exangue vel mutilum constare tamen posse: Sine dimensione autem non modo corpus humanum neque viuum neq; mortuum: sed ne vllum omnino corpus vel cogitari quidem posse. Itaque vel sua ipsius confessione victus tenetur: Cum enim concedit sine proprietatibus substantialibus corpus humanum non posse consistere, fateatur necesse est, vel Christi corpus corporea constare dimensione, vel omnino corpus non esse. *A confessione aduersarij.*

Et iam quidem facilè est animaduertere, vtri nostrum Dei omnipotentiam euertant, Nosne, qui statuimus, Deum nullum vnquam finxisse corpus, nisi corporea dimensione constans, vt eius creatrix potentia & rata & efficax maneat? An aduersarij ac inprimis hic noster Antagonista, qui fingit ita Deum posse omnia vt non modo Christi corpus omni corporea dimensione priuauerit: sed nostra etiam singulorum corpora facile possit in incorpoream immensitatē, salua corporis substantia, protendere? Quod omnino eum ne posse quidem velle, manifestum est: Vtpote, quod non modo eius voluntati: sed efficaci etiam potentiæ, quæ id quod vult potenter efficit, ex diametro aduersetur. Cum enim sint contradicentia, nequeunt simul esse vera: Atque adeo ne in Dei quidem omnipotentiam cadunt, quæ sane rerum veritati aduersari non potest. *A contradicentium natura.*

A partibus ad Totum.

Deinde quis nescit Christi corpus suis instrumentalibus

constare partibus? partes vero toto esse minores, nemo est, qui ambigat: Si autem totũ est immensum & partes immensæ sint necesse est. Quod enim dimensione caret, id in partes dimetiri non queas: Si sunt immensæ partes, ne toto quidem sunt minores. Quod enim est immensum, immenso neq; minus neque maius fingi potest, neq; adeo partes esse, ne partes quidem esse poterunt. Fatetur hic Christi carnem cõstare ossibus ac neruis: ossa autem totum corpus non esse, nemo est qui non videat: Quod si non sunt totum, ne immensa quidem: Si non sunt immensa, sed sui dimensione certa à toto distinguuntur: necesse fuerit, vt quod est immensum in partes dimensas posit distribui. Quod quis non videt ab ipsa rerum veritate abhorrere? Ac ne quis hæc quasi sophistarum cauilla respuat sciat Cyrillum his vti rationibus in diuinitate declaranda dialogo de Trini. lib.2. Tom.1. fol.245.

Ab autoritate. Inquit enim & quidem optimo iure. Si vere sectionem & partitionem diuina natura (vt illi dicunt) reciperet, intelligeretur & corpus: Si autem hoc & in loco omnino, & in magnitudine & in quantitate: Etsi quanta facta esset, non effugeret circumscriptionem, &c. Quod si recte à nostris aduersarijs esset animaduersum: Nę illi haud facile suis figmentis à vero Christi corpore, dimensionem, magnitudinem, partium diuisionem ac circumscriptionem locorum tollerẽt. Quibus sublatis, Cyrillo teste, nihil potest restare naturæ corporeæ: Imo potius abiecta tam portentosa philosophia à Christo discerent, corpus eius constare, manuum pedum ac laterum dimensione, circumscriptioneq;, neq; spiritum esse: sed carnẽ & ossa solida sub sensum cadentia retinere.

I. *Refutatio obiectionis de dispensatione.*

Scio eos recurrere ad suã illam dispensationis Chimæram: sed hærent in luto. Nam si vere Deus dispensat, Christi corpus cõstare membris dimensis, numeratis & à toto distinctis: Atq; idem dispensat non constare membris vel distinctis vel numeratis sed sine vlla corporeà dimensione, quocunq; locorum extendi: necesse est vt eius dispensatio dispensationi suæ aduersetur: Et ita omnipotentia sese destruens labefactetur: Quæ sane cogitatione complecti horret animus.

II. *Refutatio aduersariæ obiectionis à dissimilibus.*

Quos igitur recitat Antagonista noster versiculos ad hanc stabilien-

stabiliendam omnipotentiam, plane nihil ad rem pertinent: Etenim potest quidem Deus solis cursum retinere, mortuos suscitare, virgineos partus creare: At vero, vt sol non sit sol, mortuus non mortuus, virgo non virgo: hæc sanè eo vno non potest, quia est potenter omnipotens. Idem de corpore corporea dimensione carente: de partibus immensis: de toto corpore partibus non constante: & alijs huiusmodi, quæ manifestam habent contradictionem, atque adeo Dei potentiæ aduersantur, sentiendum est.

Confirmatio eiusdem argumenti I. à natura & definitione loci.

Quod ad locum attinet, modo non anxie de vocabulo laboremus, sed simpliciter id, quo quicquam continetur, vel vbi quidq; est, id locum nominemus: nō in corporeis tantum substantijs, sed in ipsis incorporeis ac spiritualibus locum intelligi erit necesse. Certū est enim angelos tam bonos quam malos esse alicubi, nec alibi, quam ibi vbi sint. Fateor equidem in eos non cadere dimensionē corpoream: ideoq; in vno homine diabolorum Legio hærere potuit. Id tamen est certo certius, eandē illā legionē dum in porcos abijsset, in eodem illo homine amplius non fuisse: Habent enim spiritus ipsi circumstantiam circumscriptam: quemadmodum Augustinus de Christi anima sentit, nō fuisse eam in corpore, cum esset in paradiso, nec in paradiso cum esset in inferno: Verum quia id non proprie ad rem præsentem pertinet non insistam pluribus: Tantum addam, veterū plerosq; orthodoxos hoc axioma pro indubitato sumpsisse: nihil posse in pluribus simul esse locis, nisi Dei essentiam ipsissimam. Ex quo validissime cōcluserunt, Spiritum sanctum ipsissimam esse Dei essentiam. Ita enim argumentatur Basilius in lib. de Spiritu sancto cap. 22. Ita Didymus: Ita Vigilius in disputatione inter Sabellium, Photinū, &c. Ita Cyrillus lib. 13. Thes. cap. 11. Ita deniq; Fulgentius. Nec facit ad rem si statuas discrimen inter propriam potestatem & alienam: Alioqui argumenti totius robur eneruabitur. Obijci enim poterit Spiritum sanctum non quidem sua sed aliena potentia pluribus fuisse locis. Illi vero neque propria neque aliena potentia cuiquam omnino id tribuunt, nisi vni diuinæ essentiæ: Ita vt de Christi corpore id dici nequeat, nisi corpus ipsum in essentiam diuinam transijsse dixeris, & corporis naturam ab eo sustuleris.

Ab autoritate.

Quicquid enim est corporeum idem dimensum sit necesse est: Quod dimensum est sua dimensione terminatur atq; circumscribitur: Ea circumscriptio in corporibus locus dicitur. Quem si tollis, non modo corpoream dimensionem, sed ipsam omnino substantiam sustuleris. Hoc illud est quod Augustinus inquit: Tolle spatia locorum corporibus, iam nusquam erunt: Et quia nusquam erunt, ideo non erunt. Nec enim de accidentaria aliqua corporis facultate loquitur, vt vult noster Antagonista: sed de ipsissima essentia, quàm omnino negat à locorum distinctione posse diuelli. Tam enim vult proprium esse corpori distingui locorum spatijs quam omnino existere.

A ratione temporis & loco. Imo vero æque proprie conuenit omnibus omnino creaturis esse in loco atq; esse in tempore: Quicquid non circumscribitur loco, ne tempore quidem circumscribi potest. Itaq; si corpus Christi volunt esse extra locum: ponant idem extra tempus atq; adeo ab æterno fuisse asseuerent: Nec enim manifestius docet scriptura Christum in tempore natum quam in loco: Nec Augusti seculum accuratius obseruatum est quam locus Bethlehem, quam ipse virginis vterus.

Refutatio de penetratione dimensionum.

Ex quo efficitur frustra nobis obijci dimensionum penetrationem, quasi Christus qui saxum monumenti & ostium penetrarit, etiam simul in pluribus esse locis posit: potest enim corpus solidum cedere: potest in naturam aeream difflari: potest in spiritalem auram diffluere: sed simul in pluribus locis existere nec aer nec spiritus ipse vnquam poterit. Deinde si ita est, & vere Christus saxi & ostij dimensionem penetrauit: Iam fateantur necesse est non vbiq; illum fuisse. Nec enim penetrare ostij substantiam necesse est ei qui non minus sit in cubiculo quam extra cubiculum: neq; saxum monuméti penetrare, opus sit ei, qui monumento non claudatur.

Sed vnde tandem colligunt Christum ianuæ ac lapidis dimensionem penetrasse? Nimirum quia Ioannes testetur, cum discipuli in conclaui vnà essent congregati & ostia clausa Christum ad eos venisse: Quasi vero aut obscurum sit aut inusitatum quempiam ostijs clausis introire, cui intrinsecus ostium non recludatur sed ipse illud extraordinaria quapiam vel vi vel arte aperiat. Introire enim ostijs clausis, non est per ostij dimensionem

sionem perrumpere: sed etiamsi ostia fuerunt clausa: tamen aditum virtute aliqua inusitata reperire: Quod ipsa græcæ linguæ proprietas multo clarius exprimit: Illi enim participia præteriti temporis à præsentis temporis participijs admodum significanter discernunt: Aliter enim per participium apud illos exprimitur, dum ostia clausa essent: Aliter dum ostia clausa fuissent: Atqui Ioannes hic participio præterito vtitur τῶν θυρῶν κεκλεισμένων: Quasi diceret. Cum iam ostia clausa fuissent: tamen Christum ad eos venisse: In quo non minor sane Christi virtus declaratur quam si ostij dimensionem penetrasset: Nisi forte neges Petrum miraculose ab angelo eductum è carcere, cum ostia fuissent clausa: nempe quia eum angelus per ostij dimensionem non deduxerit.

Quod vero aiunt de monumento, non possum non mirari, cum Euangelistarum nemo id tradiderit. Cómemorat quidem Ioannes fuisse monumentum diligenter obsignatum: Sed per obsignatum monumentum corpus Christi penetrasse, hominū otiosorum est figmentum. Nam Ioannes aperte testatur, lapidem fuisse amotum, etiam antequam eò angeli venissent. Valeant itaq; huiusmodi demonstrationes, quæ primum quidem falsæ sunt: Deinde vt sint verissimæ, nihil tamen efficiunt. Tantum cuius manifestum faciant, hos vbiquitatis patronos scripturarum testimonio prorsus esse destitutos. Qui enim toties clamant nos contra scripturam venire: ij ne vel minimo quidem scripturarum apice poterunt vnquam demonstrare, Christi corpus plusquam vno fuisse loco. Nos contra, permulta producemus scripturarum testimonia in quibus dum vno loco Christus esset, spiritus sanctus negat alio fuisse loco. Nam ipsemet de sese ait, Gaudeo illic me minime adfuisse: Item necesse est me abire, Item relinquo mundum & vado ad patrem. Et angelus de eo inquit, Surrexit, non est hîc. Sed de his postea: Hic tantum obseruetur aliquo loco non esse & esse omnibus locis, iterū esse contradicentia: Hæc enim verba, Non est hic, notant absentiam realem atq; corporalem. Neq; vllus hic relinquitur locus locutioni figuratæ. Quæritur enim non de signo aut figura, sed de ipsissimo corpore.

Confirmatio II. argumenti à fine cur Christus corpus sumpserit.

E





Altera nostri argumenti pars in eo consistit quod fuerit omnino necesse, Christum habere corpus & dimensione constans & loco circumscriptum: non tantum vt verum esset corpus sed etiam vt in eo corpore nostræ salutis mysterium posset adimplere. Itaq; etsi euicerit aduersarius, glorificata corpora vacare omni dimensione circumscriptioneq; (quod tamen nunquam euincet) nihilominus in Christi corpore, dum esset pasioni mortiq; proximus, id omnino dici non potest, nisi salutis nostræ mysterium irritum atq; inane velimus reddere. Itaq; non frustra Apostolus asseuerat, Christum participem factum carnis ac sanguinis fratrum & illis per omnia similē esse excepto peccato, quo mori & pati posset.

Sed audiamus primū quam dextre hic noster antagonista hoc telum effugiat: Ait ea verba esse iuxta suum certū modum intelligenda nimirū, substantia quidem verum fuisse hominē, suscepisse etiā humanas imbecillitates, eodemq; plane modo in ærumnis affectū fuisse ac cæteri homines, excepto peccato: Interea maximam eius corporis à nostris corporibus fuisse dissimilitudinem. Ideoq; dimensionem excipi debere ab hac communi nota. Taceo quod ipse sibi, nescio qua licentia permittit, claram ac perspicuam Spiritus sancti asseuerationem sua interpretatione à verborum significatione aliena eludere: qui toties inculcat à verbis non esse recedendum.

A similitudine substantiæ in corporibus, & corporis Christi cum nostris.

Quod vero existimat in duobus corporibus, quorum alterum dimensione constat & numero mensuraq; finitum est, alterum omnem dimensionem excedens, vllam posse substantiæ similitudinē statui: Quis illi dabit, nisi qui simul concedat Dei ipsius substantiā esse similem substātiæ corporis humani: Aut certe quidē cum Martione corpus Christo phātasticū affingat.

Quod etiam dissimilitudinē illam tantā in corporibus nostris à Christi corpore statuit, in eo sane ab Apost. argumento, toto, quod aiūt cœlo aberrat. Verum ait Christū natura Deum esse. Quasi vero de diuinitate sermo sit, ac non potius de humanitate: Imo vero de ipso corpore: Eius natura quid à cæteris corporibus discreparit, queritur. Manifestū est itaq; eū extra oleas vagari. Nam quod ad Apostolum attinet, is agit hoc vnum, vt ostendat, Christum nobis per crucem mortē atq; ignominiam in cœ-

A scopo Apostoli.

in cœlum fecisse aditũ: Id vero cum Dei filio videretur parum conueniens, ostendit multo fuisse omniũ conuenientissimum: Et quidem omnino necesse vt morte ipsa mortem destrueret & afflictionibus filios sanctificaret. Quod fieri certe nõ potuit, nisi nostram carnem, nostrum sanguinem, nostram deniq; naturam sibi propriam faceret, ac per omnia fratribus fieret similis. Hic iam videmus pro re atq; argumento subiecto, peccatum sua sponte excipi. Non enim potuisset sanctificare cæteros, nisi ipse ab omni peccato immunis.

Dimensionẽ non excipi, ab effectis dimensionis probatur.

Vt vero dimensionẽ corporis excludamus, neq; ratio, neq; rei subiectæ materia patitur: Tantũ enim abest, vt loco circumscribi & humana dimensione constare minus necessariũ fuerit in pontificis nostri ac seruatoris persona quam humanis infirmitatibus esse obnoxium: Vt quæcunq; tandẽ infirmitates in eo fuerint ex illo quasi quodam fonte manarint: nimirũ quod secundũ naturã corpoream non esset immensus, sed certo loco certaq; dimensione circumscriptus. Etenim quo pacto potuit in vtero virginis per nouem totos menses claudi, in præsepi collocari, in crucem figi, sepulchro per triduũ teneri, cœlo deniq; comprehendi, is, cuius corpus nullam locorum circumscriptionem, affixionem, detentionẽ, nullã deniq; comprehensionem omnino reciperet? Annon his positis, necesse sit, non modo Apostoli scopum, sed vniuersum nostræ salutis mysterium funditus euerti? Fatemur quidem complurimas eius corpori à diuinitate præclaras esse dotes tributas, quæ nobis non item conceduntur: Sed eæ primum quidem ad naturam humanã proprie non spectant: Deinde corporis proprietatem haud tollunt: Postremo infirmitatem illam, qua pro nobis in certo loco passus ac sepultus fuit, non eripiunt.

Ab effectis immensitatis.

At vero hæc immensitas corporis, ne corpus quidem ipsum relinquit: tantum abest, vt morti & cæteris humanis calamitatibus obnoxium esse patiatur. Quamobrem ab hac cõmuni Apostoli nota excipi nullo modo potest. Hic tamẽ Antagonista recitatis aliquot prerogatiuis, quæ ad hanc corporis immẽsam extensionem ne hilum quidem pertinent, ipse sibi triumphum canit, gloriaturq; hoc argumento prærogatiuarum, neruum nostrorum argumentorum incidisse: quæ tamen vix leuiter quidem adhuc attigit.

Mox calcationem aquarum profert, quasi ea quicquam habeat cõmune cum immensitate corporis: Sane si corpus eius in immensum sese explicasset, erat cur Apostoli vere spectrũ esse, certo sibi persuaderent. Quando vero ipse Christus testatur, sese illic realiter suo corpore præsentem adesse: Satis profecto declarat, aquarum calcationem nihil ad immensitatem corporis pertinere. Tandem ad rem ipsam aliquando venit conaturq; ostendere, Christum id voluisse, quod ante tantopere laborauit vt ostenderet, potuisse.

Confutatio argumenti de Asseueratione.

Nec vllum tamen aliud producit argumentũ quam seriam illam, de qua diximus, filij Dei asseuerationem. Nos quidẽ filio Dei credimus, & quidem solo nutu testanti voluntatem: Quod vero suam illam asseuerationẽ corporaliter voluerit intelligi. Id vero nostro antagonistæ incumbebat probandũ: Sed hic est altum silentiũ. Imo quasi indubitatũ foret axioma, quod quicquid filius Dei non historice narrat, sed serio asseuerat, id corporaliter accipi debeat (quod est certe falsissimũ) concludit ex eo nemini pio licere verba Christi eludere. Quasi vero eludere sit, verã ac perspicuã verborum interpretationẽ ex natura rei subiectæ vestigare: quia scilicet corporalis modus excludatur.

Postremo quasi re confecta ex sentẽtia denuo inijcit mentionem omnipotentiæ & tandem Epilogi vice Cinglianorũ futilem de locorũ necessitate argumentationẽ esse pronuntiat. Ita vt facile appareat, nihil aliud eum, quam nostrã sententiã confirmasse: Nimirum, quod suæ causæ patrocinio pene deserto in extruendis varijs de diuina omnipotentia commentis, etsi multum, frustra tamen, desudarit.

AD II. ARGVMENTVM AB VNIONIS *naturarum ratione desumptum.*

QVod ad secundi argumenti à nobis producti cõfirmationem attinet, videtur mihi quidẽ hic multa philosophari acute de vnione naturarũ: Nodũ tamen ipsum rei vix attingit. Producit varia argumenta, quibus demonstret gloriam Deitatis humanitati tributam (quod libenter damus) vt vero probet etiam immensitatem illi tributam, in eo vix vnum aut alterum vel verisimile argumentum adfert.

Argumenti nostri propositio.

Hic autem est status controuersiæ, An carere dimensione (quod immensum esse hactenus appellauimus) corpori Christi tribui debeat ex vnione naturarum? Nos negamus equidem hoc argumento: Quia vnio naturarum sine permixtione ita intelligatur, vt nec à deitate, quod ad naturam diuinam pertineat, nec ab humanitate, quod quidem ad eius constitutionem requiratur, quicquam sublatum sit. Natura diuina non potest esse, nisi spiritus, essentia æterna, immensa, quæ neque locis neque temporibus circumscribatur: Humana autem vt existat, omnino necesse est, primum quidem, vt sit substantia, eaq; non incorporea, sed corporea dimensione constans, quæ non modo animata, sed etiam rationalis intelligatur: Deinde quicquid vel ad animę vel ad corporis naturam pertinet, id omne contineat. Quod si igitur esse vel dimensum, id est, corporeum, vel anima præditum, vel rationis particeps sustuleris: Sane naturæ humanæ ne vestigium quidem relinqui poterit. Itaq; vnio naturarũ in Christo immensitatem corporis minime efficit.

Hæc vt refellat aduersarius ait, naturarum distinctionem non inducere distinctionem loci: Fatemur si rectè intelligatur: Nempe etiamsi Christus constet duabus naturis distinctis: nullo tamen loco illas posse separari. Sin autem ex eo immensitatem cum dimensione confundere velit, iam axioma illud omnino pernegamus. Nam vel ipsemet fatetur has naturas ita distinctas intelligi, quod altera sit creatrix & ab æterno, altera & corporea & creata: Quod si recte intellexisset, iam sublata esset omnis controuersia. Quemadmodum enim ab essentia Dei nefas est tolli, increatum, immensum & ab æterno esse: Ita ab hominis natura ne imaginatione quidem auferri potest, corporeum esse & in tempore creatum, id est, dimensione & tempore circumscriptum. Ex quo efficitur nec Deitatẽ Christi sine immensitate, nec humanitatem sine corporea dimensione posse constare.

Diuidere naturas & vnio naturarum quid?

Noster Antagonista laborat, vt probet has naturas nunquam diuidi. Quasi vero diuidere sit suam cuiq; proprietatem naturalem ascribere: Aut quasi, quia Christi humanitas non sit spiritus, dimensione carens, ideo minus inseparabiliter cum di

uinitate coniuncta sit: Aut deniq; quasi nō omnes videant, duarum naturarum vnionem nō significare, nec inclusionem vnius sub altera: nec alterius ad alteram extensionem: sed tantum vnius cum altera inseparabilem copulationem. Quod vt intelligatur, similitudine quam appositissima vtamur.

A simili animæ & corporis.

Nhil autem potest esse in rerum natura magis accommodatum ad naturam Dei explicandam, quam ipsa eius imago, ad quam homo conditus est: Mens nimirum atque intelligentia: quæ nulla sane dimensione circumscribitur: Nec enim est substantia corporea: sed quocunque vuult, liberrime euagatur. Id quomodo fiat nemo satis intelligit. Quemadmodum nemo intelligentia complecti potest, qui fiat, vt Dei simplex & vniformis essentia vbique diffundatur, nec tamen ipsa creaturarum essentia permisceatur. Scio quidem non posse hac similitudine diuinam illam immensitatem ad amussim exprimi: Tamen haud potest, meo quidem iudicio, aptior ab humanis rebus similitudo sumi: In qua facile est animaduertere, vnionem indiuiduam mentis cum corpore, locis omnino, neque separari etiamsi quocunque mens pertingit, eo corporis moles minime feratur.

Quod autem ex animæ & corporis similitudine aduersarius suam videtur sententiam velle stabilire, nihil agit: Illa enim etiam à nobis facit. Nam quod vbicunque sit anima ibi etiam sit corpus: & contra: Id nemo illi simpliciter dabit. Etenim animæ substantiam quidam in corde, quidam in cerebro, aliqui collocarunt in sanguine. Quoquo modo se res habeat: certum tamen est, non tam animæ substantiam per totum diffundi corpus, quam eius vires atque facultates. Id ex eo liquet: Quod manu amputata, vel alia quapiam corporis parte præcisa, de substantia quidem animæ nihil detractum est. Vis tamen illius atque facultas in membro præciso, aliquo etiam post tempore palpitare cernitur: Quod est etiam in reptilibus multo manifestius. Sane si animæ facultas, ipsa foret animæ substantia, vel partes illæ à trunco amputatæ, nullum eius facultatis vestigium præ se ferrent, vel si ferrent, necesse esset, animam censeri imminutam. Cum igitur ipsa animæ substantia (etiamsi corpori nexu quodam indiuiduo coniuncta sit) haud tamen in omnibus

mnibus eius partibus substantialiter contineatur. Manifestum est hac similitudine nostri aduersarij rationem irritam frangi. Sed fac tamen esse vti vult, animæ substantiam ad substantiam vniuersi corporis extendi: Ne quidem tamen ex eo quicquã efficiet. Id enim si fiat, necesse sit, ob hanc vnam causam fieri, quia anima non sit infinita, sed corporeæ molis cancellis circumscripta. Alioqui si nullo loco anima circumscribatur, sed per infinita locorum spatia sese explicet, manifestum est, neque corporis naturam idcirco minus fore circumscriptam neq; vnionem tamen illam inseparabilem abruptam. Itaq; hac ipsa similitudine aduersarius tanquam suo gladio iugulatur.

Hoc autem ita se habere in singulis corporis membris fit perspicuum: Brachia quidem in corpore cum anima, in vnam hypostasin inseparabiliter coniuncta sunt: Tamen quia anima non circumscribitur brachiorum circumscriptione: Idcirco ex hac vnione, nemo vnquam euincet, vbicunq; sit anima, ibi esse brachia. Singula enim membra sunt corpora suis dimensionibus finita: quæ sane ad spiritalem animæ circumscriptionẽ extendi nullo modo queunt: licet simul cum anima vnam simplicem hypostasin atq; indiuiduam constituant: Neq; potest anima constare nisi coniuncta si non omnibus, at certe primis mẽbris vitalibus, potest autem esse vbi illa non sint.

Ita etsi propter indiuiduam naturarum in Christo vnionem, diuinitas eius non posit intelligi, nisi quæ sit cum humanitate copulata: neq; contra, humanitas ab illa queat auelli (in vnam enim hypostasin coniuncta sunt) Nihil tamen impedit, quo minus deitas ipsa sit, vbi non sit humanitas: Nisi velimus Christi corpus, dum esset consepultum, etiam in cœlo cum diuinitate fuisse: Aut forte statuimus ipsam etiam diuinitatem humo reconditam.

A consensu & explicatione scholasticorum.

Atq; est hoc à scholasticis significanter hoc dicto explicatũ. Totus quidem Christus est vbiq;: Sed non totum, quod est in Christo. Et Aquinas fatetur, Totum Christum fuisse in sepulchro, totum in inferno. Nam & si corpus non fuerit in inferno nec anima in sepulchro: nõ tamen efficitur, quin totus ibi Christus, id est, integra Christi persona ibi fuerit: Tantum ostenditur (inquit) ipsum illud totum quicquid ad humanam naturã pertinet ibi non fuisse.

Ab vnione corporis Christi cum pane Eucharistico.

Si tamen omnino volunt propterea quod Christi diuinitas cum humanitate coniuncta sit, ideo immensitatem alteri propriam, etiam alteri tribui: Cur non etiam panis substantiæ, quã statuunt cum vtraque realiter coniunctam, eandem immensitatem concedunt? Dicent aliam esse rationem coniunctionis. Fatemur. Tamen si realis ac substantialis est: sane quicquid vni tribuitur, alteri etiam tribuatur necesse est.

De omnipræsentia essentiæ diuinæ.

Quod autem de præsentia essentiæ diuinæ, acute philosophatur noster antagonista, lubēs fateor, me hanc diuinæ omnipræsentiæ rationem non intelligere, ideoque inuitum ac repugnantem in hanc arenam trahi. Sane essentiam Dei vbique diffundi, quia omnes patres docent, & ipsa etiam scriptura videtur affirmare, non diffiteor: Verum esse eam vbiq; realiter ac substantialiter non modo diffusam, sed cum ipsis rerum substantijs coniunctam: Ego quidem non video quomodo posit dari, nisi cum simone Mago, Cerdone ac Manichæis omnes creaturas ex Dei essentia constare credimus. Itaq; magno sane interuallo præsentiam diuinæ essentiæ in Christo, ab ea, qua cæteris creaturis adest, credimus distare. Nam quod hic noster Antagonista totum illud discrimen statuit in hypostasi ac persona filij, etsi potest pie explicari, tamen mihi quidem (saluo eius doctorum virorum iudicio) nõ videtur dictum satis apposite Scimus enim personę vocem distinguere tantum patrem à filio & spiritu Sancto Ita videretur ex eo consequi, Dei quidem essentiam, qua contineantur tres personæ in omnibus esse hominibus: In Christo autem vnam tantum constitui personam, nimirum filij: atq; adeo ipsa Deitas in Christo non tam plene contineretur quam in cæteris.

Quamobrem velim omnino nos ab huiusmodi mysterijs abstinere, quę non sint manifesto Dei verbo explicata. Tamen si necesse sit meam sententiã explicare, ego putarim, cum Deus dicitur sua essentia vbique esse atque omnia replere, verbum essentiæ haud omnino proprie accipi: sed tantum pro maiestate quadam vera atq; essentiali, qua Deus omnia repleat. Video enim

enim à Paulo notari aliquid præcipuum cum ait, omnem plenitudinē Deitatis habitare in Christo corporaliter: Quod nullis omnino creaturis sine insigni blasphemia, posit tribui: Ita vt existimem, plenitudinem illam Deitatis non vbique esse corporaliter, vt ego quidem (saluo meliori iudicio) existimo realiter ac substantialiter.

Deinde si proprie accipias essentiam, pro eo quod est ipse Deus: eamq; dicas omnibus inesse creaturis: omnes creaturas Deum esse, efficietur, quod est falsissimum.

Postremo nemo nescit essentiam proprie sumptam tres complecti hypostases patris nempe filij & spiritus sancti: Eas hypostases necessum erit omnibus rebus creatis realiter atque adeo hypostaticôs, id est, personaliter esse coniunctas. Quod vel cogitare animus horret. Qua in re videre mihi videor cum antagonista nostro reipsa pulchre conuenire, & si verba nonnihil fortasse discrepant. Itaq; facile mihi persuadeo, eum à Cerdonis ac Libertinorum furoribus prorsus abhorrere, vt non dubitem eius explicationem ad fidei analogiam accommodare.

Ad præsentem vero causam quod attinet, ne hæc quidem explicatio illum iuuare potest. Imo tota est à nobis. Ait humanitati coniunctam esse filij personam atq; hypostasin: Essentiam autem diuinam vbique diffundi. Hinc apparet, quod filius Dei omnia repleat, nō habere id proprium à persona, nimirum quia filius est, sed ab essentia diuina seu à deitate, quia Deus. Cum igitur non proprie essentiam diuinam coniunxerit humanæ naturę in vnam hypostasin: sed ipsum tantum verbum ac personam filij: Sane non potest ex eo concludi immensitatem, quæ non tam personæ quam essentiæ propria est, cum humanitate esse communicatam: nisi forte statuimus, quod quicquid est essentiæ diuinæ proprium, idem sit humanitati Christi attributum. Ex quo consequetur eam in tres distingui personas patris nempe filij & spiritus sancti, & simul ab ęterno fuisse statuetur. Quæ sane à fidei ratione abhorrent. Cum igitur non proprie quidem persona filij, sed ipsa deitatis natura atque essentia tribus personis communis vbiq; diffundatur, nulloq; sit neq; loco neq; tempore circumscripta: Sane nihil est quamobrem vnio verbi seu personę filij cum humanitate, hanc in immensum extensionem humanitati tribuat: Nisi dicamus, humanam naturam ipsam esse deitatem ac diuinarum persona-

rum essentiam. Quod est falsissimum. Sed de his satis. Nemo est enim qui acie mentis hoc tantum mysterium queat inuestigando penetrare.

Confutatio eorum quæ afferuntur ab aduersario.

Probat deinde humanam Christi naturam esse vbiq; præsentem propterea quod maiestate & gloria diuina donata fuerit: Sed hoc nihil ad rem. Gloria enim non complectitur quicquid est essentiæ diuinæ proprium: Alioqui non modo loco, sed ne tempore quidem circumscribetur humanitas. Adducit Ioannem qui ait Christum Dei spiritu sine mensura donatum: Sed Ioannem illic agere de spiritus Sancti donis, quæ ex eius plenitudine in nos effunduntur, non de corporis in infinitum extensione, manifestius est quam vt probatione egeat.

Subijcit omnia Christo esse subiecta: fateor. Sed nego ex eo effici, corpore vbique præsentem esse: Nisi forte velis corpori eius omnia subiecta & nō potius personæ mediatoris, qua Deus in carne manifestatus est & formam serui induit. Sed quia hoc argumentum sæpius inculcat: sciat primum quidem non quia Christi personæ omnia sunt subiecta, ideo etiam omnibus eius partibus omnia subiacere. Corpus autē hominis esse partem manifestum est: Non recte itaq; dixeris, corpori eius omnia esse subiecta: ne sequitur quidem, igitur corpus eius vbique esse: Nisi forte hæc ratiocinatio illi probatur: Christi pedibus omnia sunt subiecta: Ergo pedes eius sunt vbique. Ita nullus restabit neq; capiti neque cæteris membris locus. Deinde etiam si concesserimus ipsi corpori esse omnia subiecta, nō poterit tamen ex eo realis corporis præsentia omnibus locis inferri: Alioqui Augustum vbique præsentem fuisse necesse fuerit, propterea quod maxima orbis pars eius imperio subiecta esset. Scio quidem Christo aliam omnino esse rationem imperij atq; Augusto: Sed hoc volo, imperium non desiderare præsentiam corporalem, ne in homuncione quidem mortali nedum in Christo Dei filio, qni vno nutu facile totius vniuersitatis gubernacula moderetur.

Doctrinam aduersarij secum pugnare.

Animaduertendum porro est, cum iam negare, quod Chri

sti

sti corpus omnia repleat localiter, aut corporali quodam modo per omnia diffūdatur. Hoc enim ita posito habemus quod volumus: Nam si non potest esse vbique corporaliter, id est, tanquam corpus: Ergo ne in cœna quidem corporaliter, id est, corporis modo esse extorquebitur. Sed quando vnquam fando auditum est, corpus aliquo loco proprie ac realiter esse, nec tamē corporaliter, id est, modo corporeo? An hæc non manifeste pugnant? Spiritus certe quidem non potest vllo esse loco nisi spiritualiter, id est, pro natura & ratione spiritus: Deus nisi diuine, id est, tanquam Deus nusquam esse potest: Homo nisi humane, id est, vt homo: Ne corpus quidem igitur vllo loco potest intelligi præsens nisi corporaliter. Corporaliter enim adesse si proprie loquaris tantundem valet ac adesse vt corpus, vel pro essentia corporis, id est, circumscriptiue, ac pro ratione dimensionis corporeæ: Non circumscriptiue autem adesse neque corporaliter, significat aliter aliquid adesse, quam corpus, aut quā natura corporis postulasset. Quis non videt hæc mera esse verborum portenta? quæ tamen diuinæ omnipotentiæ clypeo etiam teguntur, quasi nobis integrum sit eius maiestate ad nostra commenta abuti.

Notandum tamen est hunc ipsum aduersarium fol. 26. ita scribere Quod Augustinus dicit corpus Christi in aliquo cœli loco iuxta veri corporis modum esse, cōtra Martionem est qui corporis Christi veritatem negabat: non contra nos, qui hanc etiam iuxta veri corporis modum in Eucharistia adesse adserimus, &c. Quæ sane inter se pugnant. Nam etsi negat veri corporis modum localem esse: tamen hæc inter se conciliari nequeunt, esse secundum corporis modum, &, non esse corporaliter.

A ratione communicationis Idiomatum.

Sed quomodo tandem omnia replet? hypostatica, inquit, vnione. Optime profecto. Verū quid sibi vult, corpus aliquod omnia replere, non quidē secundū sui ipsius naturā, id est, corporaliter: sed secūdū vnionis hypostaticæ rationē? Nisi id ipsum re uera quidē ac proprie, si per se æstimetur, non replere omnia: Si autem ratio habeatur rationis hypostaticæ, qua ipsum illud corpus in vnam personam cum Deitate coniunctū est: haud illi repletionem tum ascribi improprie respectu nimirum eius,

cum quo coniunctum est. Eam loquendi rationem veteres expresserunt per communionem idiomatum. Quod nimirum proprietas seu Idioma vnius naturæ, improprie alteri tribuatur: non quidem quod reuera illi conueniat, sed quia in vna persona ex duabus naturis copulata, quicquid alteri naturæ reuera & naturaliter conuenit, id etiam alteri per communicationem quandã improprie tribuitur Ita Deus dicitur suo sanguine Ecclesiam redemisse: non quidem quod sanguis diuinæ naturæ reuera adscribi posit: sed quod impropria quadam loquẽdi forma, quod humanæ naturæ est proprium, id cum diuina etiam communicatur ad exprimendam inseparabilem illam vtriusque inter se cõiunctionem. Eodem modo Christum vbique esse fatemur: Imo vero & corpus eius vbique esse non negamus: Ita tamen vt ex eo intelligatur, corpus ipsum reuera nõ esse vbique (non magis quam diuina natura reuera sanguinem habeat, aut quam Deus ex Maria reuera natus sit) sed tantum improprio quodam modo dici esse vbique, quia videlicet essentia diuina, cum qua corpus hoc inseparabiliter coniunctũ sit, vbique esse censeatur. Quod si igitur omnia replet per communicationem Idiomatum, relinquitur vt ipsum quidem corpus non repleat omnia: sed tantum ea diuinitas, quæ corpori est coniuncta. Multum igitur refert quomodo hæc loquendi ratio explicetur. Nec satis est (vt vult Antagonista) probari, Christum omnia replere: Verum ostendendum est Christi corpus replere omnia. Alioqui contradictio consequetur, replere nimirum omnia & tamen non replere.

Ad locũ Pauli. Itaq; quod ex Paulo obijcit Christum omnia repleuisse, nihil nobis aduersatur: corpore enim eum omnia replere nunquam demonstrabit: Atqui Christum omnia replere, & eundem ipso corpore replere omnia, non minus discrepant, quam hominem esse mortuum & eiusdem animam interijsse: Alterum enim quotidie vsu venire omnes vident: Alterum vero omnino non posse fieri, & pij & sani omnes fatentur Sed tamen ille Pauli locus non inepte potest intelligi de quibusuis locis, quasi declaret, nullum esse omnino locum, quem non attigerit Christus, vt qui in terra vixerit, in infernum descenderit, in cœlos abierit: nempe, vt intelligeretur cœlorum terrarum atque inferorum illum esse vnum dominum & Monarcham. Quanquam postea nostram in hunc locum sententiam aperiemus.

Ad

Ad obiectionem de adoratione.

Multum vrget præterea adorationem, miraturq; Cinglianos, cum eam admittant, non item admittere omniū impletionem. Quasi vero hæc aliquid habeant simile. Aut quasi adoratio corporis naturam destruat: Quæ vel brutis ipsis creaturis impie quidem, tributa tamen quondam fuit. Sed inquit non minoris esse maiestatis, adorandum esse, quam omnia replere. Primum non omnes illud dabunt: Sed tamen fac ita esse. An ideo sequitur, Christi corpori vtrumq; conuenire? Quid si dicam, ne corporis quidem naturæ aut essentiæ conuenire adorationem (nimirum quod sit creatura) nisi respectu totius personæ? Sed nolo me hoc clypeo tueri, tantum negabo, nos ideo immensitatē à corpore tollere quod existimemus tantam maiestatem corpori non conuenire, sed quod naturæ corporeæ immensitatem omnino repugnare omnes videant. Alioqui si maiestatis est facienda comparatio, nō minoris erit maiestatis, adorandum esse quam ab æterno esse: Eoq; statuetur argumento, Christi corpus ab æterno fuisse conditum. Erit etiam eiusdem maiestatis adorandum esse, & increatum esse: Ergo & creatum Christi corpus fuisse negetur. Tandem postquam solidis rationibus videt suam illam corporis omnipræsentiam esse destitutam: Iterum omnipotentiæ fulmine oculos conatur perstringere & iudicium omne sensuum ac rationis sepelire.

Ab authoritate.

Quod vero sparsim Augustini quædam ac cæterorum patrum testimonia inijcit in comprobandis ijs, de quibus nulla est dissensio vt lectori non satis cauto persuadeat, etiam illos in hac controuersia facere à sese, ludit operam. Augustinus enim cæteriq; omnes orthodoxi tribuunt quidem Christi corpori multas præclaras dotes: hanc autem immensitatem nunquam tribuunt. Imo vero eam aperte repudiant. Ita enim ait Augustinus tractatu in Ioan. 50. Cum diceret Christus, Me non semper habebitis vobiscū: loquebatur de præsentia corporis. Nam secundum maiestatem suam, secundum prouidentiam, secundum ineffabilem & inuisibilem gratiam impletur quod ab eo dictum est: Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi: Secundum carnem vero, quam assumpsit, secundum id quod de virgine natus est: secundum id quod à Iudæis compre-

hensus est, quod ligno confixus: quod de cruce depositus: quod linteis inuolutus: quod in sepulchro conditus: quod in resurrectione manifestatus: non semper me habebitis vobiscũ. Quare? Quoniam conuersatus est secundum corporis præsentiam 40. diebus cum discipulis suis, & deducentibus eis videndo non sequendo ascendit: Non est hic: Ibi enim sedet ad dextram patris: & tamen hic est: Quia non recesit præsentia maiestatis.

Idem ante testatus erat Cyrillus, qui lib. 6. in Ioan. cap. 14. ita scriptum reliquit. Hic animaduertendum est, quod etsi corporis sui præsentiam hinc subduxerit, maiestate tamen diuinitatis semper adest: sicut ipse à discipulis abiturus pollicetur dicens: Ecce vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi.

Idem etiam à Theodoreto & quidem copiose traditum est in dialogo qui Impermixtus dicitur. Nam & ipse & cæteri pleriq; omnes hoc circumscriptionis & dimensionis argumento inconfusam naturarum vnionem in Christo statuere. Quorum sane infinita possem testimonia producere, nisi prolixitatem fastidiosam vererer. Itaq; pergamus ad alia.

AD III. ARGVMENTVM SVMPTVM *tum ab ascensione Christi ad cœlos tum à sessione ad dextram Dei patris, quibus probetur non adesse realiter in cœna.*

SEquitur tertium argumentum, quod ab eo duplex ponitur: Primum ab ascẽsione Christi in cœlum: Alterum à sessione ad dextram patris sumptum est. In hoc refutando mirifice exultat & sæpius sibi triumphum canit: In illo vehementer sudat, vt cum videat, præter hos cœlos aspectabiles, nullum à Deo aliud cœlum conditum, ipse sibi nouum atq; increatum ac spiritale fabricet. In quo demiror vnde tam de repente homines isti ita spirituales ac cœlestes facti sint, vt iam vel cœli ipsi corporales ipsis sordeant: Cum ante in præsentia Christi corporali introducenda tantam operã posuerunt. Et quasi spiritualis eius corporis manducatio, quæ fide fit pusilli sit momenti, omnino voluerũt tria Christi verba, quæ aperta & dilucida esse clamabant realiter & corporaliter intelligi: Hic autem quando spiritus sanctus aperte docet, Christum postquam corporeum illud suum corpus

corpus testatus esset carnem & ossa habere, discipulisq; palpandum tradidisset, & cibo sumpto, verũ corpus esse demõstrasset: paulo post idipsum corpus de loco inferiore in superiorem ex terra in nubem, atq; inde in cœlum sustulisse (Quæ non est historica tantũ narratio, sed seria & spiritus sancti & angelorum & Apostolorum asseueratio: primum scriptis propheticis prædicta, voce filij Dei confirmata, angelorum testimonio comprobata: Et nequis restaret scrupulus, sensus ipsi atq; oculi eius rei facti sunt testes, nubes deniq; elementaris ratum fecit). Tamen quasi poculo Letheo sumpto sui prorsus obliti, nihili tantã asseuerationem, nihili oculorum iudicium, nihili voluntatem Christi longe manifestißimam faciunt. Sed omnia hæc testimonia ad spiritualem quendam ac figuratũ loquendi modum, quem ipsi sibi confinxere, violenter trahunt: tantum vt mordicus retineant semel statutam præsentiam corporalem. Tanta est vis opinionis præiudicatæ.

Sed rationes eorũ videamus: Primum fatetur Antagonista noster Christum ascẽdisse in cœlum: Sed negat hoc aspectabile cœlũ id esse existimandum. Quid ita? Quia nimirũ absurdum videtur homini iã penitus spirituali, Christi corpus contineri aut circumscribi loco. Quid vero? Eumne, qui omnes omnino absurditates clamauit esse deuorandas, & in abyssum omnipotentiæ diuinæ reijciendas, tantum vt vnam scilicet voculam corporaliter aut realiter posset interpretari: iam vna aliqua absurditate, quam ipse sibi confinxit, ideo offendit, vt neq; omnipotentiæ diuinæ, neq; expressorum verborum amplius velit meminisse.

Ad Petri testimonium ab aduersario productum.

Affert tamen aliquid ad suæ causæ patrocinium: Itaq; audiamus. Citat Petri testimonium, quo certe vix vllum potest efficacius contra hæc eius cõmenta excogitari argumentum: Sed callide verba ipsa germanica lingua interpretatur & simul turpiter ad ambiguam verborum significationem impingit.

Monet Petrus turbas, vt agant pœnitentiã, quo peccata illis sua non imputentur cum venerint tempora refrigerij seu consolationis à facie Domini, & cum Deus denuo miserit Iesum Christum (qui iam ante illis fuerat quasi in manus traditus, vtitur enim verbo à traditione manuum sumpto) quem interea, inquit, oportet, vt cœlum capiat, vsque ad tempora instaurationis omnium quæ Deus per prophetas locutus est, &c.

A Petri scopo. Quia autem ambiguitas est in ea oratione. Quem oportet cœlum capere, &c. Hic intelligit Christum ipsum debere capere cœlum idq; interpretatur, quasi dicas in possessionem cœli venire: Nihilo secius quã ille quondã pyrrhus huiuscemodi ambiguitate delusus fuisse dicitur: Aio te Aeacida Romanos vincere posse. Verum ne videatur absurditas esse in oratione (constat enim nec Græce nec Latine dici quempiã in ea significatione suscipere cœlum) Ideo ad linguã Germanicam quasi ad sacram anchoram confugit: Et ait idem significare, quod Germani dicunt, Den himmel innemmen. In quo non possum satis admirari tam acrem verborum æstimatorem tam turpiter labi. Nam qui Græcam linguam vel primis labris attigerunt, intelligunt verbum δέχεσθαι quo vtitur Petrus, significare idem quod capere, tenere, & proprijssime dici de loco qui corpus aliquod contineat, neq; posse ad hanc germanicam significationem trahi. A proprietate verborum. Quinimo vero ex eo vno verbulo facile est depræhendere futilitatem omnium eius commentorum de Christi corporis vbiquitate. Cum enim Christus cœlo teneatur, fieri non potest, vt nullo circumscribatur loco. Ipsa etiam series orationis nullum admittit alium sensum: Petrus enim declarat Christum iterum esse mittendum. Interea, ait, cœlum illum tenere seu δέχεσθαι vsque ad tempera instaurationis Quo sane nihil est clarius nihil illustrius. Tamen in tanta luce cæcutiunt, qui in vnius propositionis apicibus retinendis cœlum terræ miscere non dubitant.

Ad locum Pauli, ex eoq́; loco nostræ sententiæ confirmatio.

Adducit deinde locum Pauli ad Ephesios, quem paulo ante attigimus: Sed is ipse contra eum vehementer facit: Paulus enim illic aperte notat Christum descendisse ad infimas partes terræ, quod est diligenter obseruandum, ne quis nullo eum loco fuisse existimaret. Deinde notandum est descensionis verbum, quod à loco in locum declinationem significat: Post ait, eundem qui descenderat, etiam ascendisse supra omnes cœlos: Annon hinc manifeste euincitur cœlos non esse in terra, nec terram in cœlis? Statuitur enim clara antithesis vltimorum cœlorum & citimarum partium terræ. Item ascensionis & descensionis. Sane si cœlum est vbiq; , Christus nunquam descendit è cœlo

cœlo in infimas terræ partes: Sin autem descendit in terram & rursus ascendit in cœlum, necessario efficitur, nec cœlum terræ nec terram cœlo posse permisceri.

Sed vrgent ea verba, Vt omnia repleret. Quasi vero sensus Pauli sit obscurus. Docet enim in donis Christi, quæ cuiq; pro rata mensura tribuit, illud psalmographi esse impletum: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem & dedit dona hominibus. Sed primum explicat, Quis sit ille qui ascendit? nimirum qui ante descenderat, vt videlicet hanc captiuitatem duceret captiuam, hoc est, diaboli potentiam confringeret: Et eundem esse illum pronuntiat, qui supra omnes cœlos ascendit, vt omnia illis ipsis spiritus sancti donis impleret: Quemadmodum à Luca manifeste recitatur, & commemoratur à Petro vere tunc impletum fuisse illud Ioelis vaticinium, quo prædixerat, Fundam spiritum meum super omnem carnem, &c. Ac ne vlla restaret dubitatio, ipse Paulus statim subiungit, quæ fuerint effecta huius repletionis: Et dedit, inquit, alios quidem in prophetas, alios in apostolos, alios in pastores, &c. ad perfectionem sanctorũ ædificationemq; corporis Christi. Mox repletionem ipsam apertissime interpretatur docens eam tum perfectum iri, cum accreuerimus in virum grandæuum, in adultam ætatem plenitudinis vel repletionis Christi. Vbi eodem prorsus verbo repletionis vtitur. Quod ipsum latius explicat similitudine capitis, è cuius suppeditatione, omnia membra simul compacta in perfectum corpus repleantur & adolescant: Adeo vt Pauli verborum sensus sit longe manifestissimus. Explicatio uerborum Pauli.

Videamus tamen quomodo hanc omnium impletionem aduersarius suæ causæ accommodet. Ait ex hoc loco euinci, Christum suo corpore omnia implere loca ex naturarum vnione. Primum, Quis eum docuit, Paulum loqui de corpore ac nõ de tota Christi persona? Non potest, inquit, de diuinitate intelligi, quę nunquã ascenderit. Fateor: Atqui ne de corpore quidem igitur potest intelligi, quod nunquã è cœlo descẽderit: nisi forte cum Anabaptistis cœlestem illi originẽ affingimus. Itaq; debet necessario intelligi de tota mediatoris persona: quam omnino non negamus, omnia loca implere: Etsi nunquam dabimus, corpore suo omnia replere. Verum si iam Christus replebat omnia cum esset in infimis partibus terrę: Quid est quod

Paulus ait, eum ascendisse supra omnes cœlos, vt tum demum omnia repleret? Id est, vt consequeretur quod iam erat adeptus?

Negabunt, sat scio, ascendisse, sed figuratam esse locutionem vel certe spiritalem dicent (hoc enim nomine suos tropos tegunt.) Sed fac ita esse: Frustra tamen ait Paulus, ascendisse vt impleret omnia: Cum sine hac spiritali ascensione iam ante eius corpore omnia essent plena. Sed nolo verba nimis anxie vrgere. Sententia vero illis sua quomodo potest constare? Quæro enim an Christus cum esset in terra, corpore suo infimas terræ partes repleuerit? Quomodo cœlum esse locum negant, certe terram ipsam locum esse non possunt ire inficias. Quod si igitur terræ partes impleuit, non potuit, nisi vt loca, implere. Ita iam illos cœlestium locorum sublatio nihil iuuabit, quando coguntur fateri, Christum locis terræ fuisse circumscriptum.

Id ipsum tamen animaduertat cordatus lector quale sit, verum Christi corpus suis partibus constans & sub aspectum tactumq́; cadens, cum esset in terra, vnoq́; certo loco cerneretur, repleuisse tamen quicquid vndiq; oculis obijcitur? Dum esset in tumulo, omnia subsellia, cubicula, loca denique omnia substantialiter repleuisse? nec tamen fuisse vel sensibus comprehensum, vel circumscriptum locis? Quis non videt hæc esse somnia hominum otiosorum?

Confutatio cœli spiritualis vel vtopici.

Sed accedamus ad præclaram illam Architecturam cœlorum spiritualium. Primum, ne possemus tantum artificium odorari, obijcit, Cinglianos sibi fictitium confinxisse cœlum, in quo Christum cum suo corpore collocent: Quasi vero fictitium sit illud, in quod viderunt Apostoli Christum ascendentem: Quod vidit Stephanus apertum: Quod in Christi Baptismo etiam diffissum fuit: Imo quasi fictitium sit illud quod nemo nisi cæcus, non potest intueri.

Sed proponit sibi verbum Dei. Itaque audiamus. Diuidit cœlum in tres partes in firmamentum, aquas superiores atque inferiores: Has vult esse quicquid est infra firmamentum: Illas nescio quam substantiam corpoream quam supra firmamentum seu cœlum statuit: negat tamen in ea Deum cum angelis habitare. Quod quidem libenter illi damus. Existimamus

enim

firmamentum apud Mosen non cœlum significare vt ipse autumat: sed expansionem hanc aeream in qua versamur. Vtitur enim Moses verbo רקיע ab extensione ducto. Inferiores aquas ducimus esse maria atque flumina: superiores nubes ipsas. Et quia Moses ipsis oculorum sensibus sese accommodauit: Ideo ait, expansionem hanc continentem, quicquid oculis cernitur, etiam solem, lunam ac stellas complecti: Verum quid hinc efficitur? Nullus, inquit, alius relinquitur locus: Quia Moses subiungit: Perfecti sunt cœli & terra & omnis ornatus vel exercitus eorum: Ergo nullæ sunt beatorum sedes supra hos cœlos aspectabiles. Egregiam sane complexionem: Quasi vero Moses sua illa recitatione velit vniuersam tantæ & tam stupendæ fabricæ perfectionem contineri: Qui nihil aliud molitur, quam vt declaret, vel sensuum iudicio nos horrendæ ingratitudinis conuinci, nisi tantum rerum omnium architectum, agnoscamus adoremusque.

Sed amabo Moses recitat ne angelos esse creatos? Equidem non reperio. Atqui si cœli & eorum ornatus hac eius recitatione perfecti sunt, ne angeli quidem ipsi ad cœli ornatum exercitumque pertinebunt. Viden' lector quam belle concludat? At cur non potius è diuerso ita ratiocinatur? Moses tantum recitat hominum creationem sedesque illis atque eorum vsui destinatas: Ergo necesse est alia quæpiam creatio intelligatur. angelorum & spirituum, quibus etiam sua sunt loca præstituta quæ cœlorum nomine plus sexcenties in scripturis appellantur: Sed nolumus tamen ab hac Mosis perfectione discedere.

Firmamentum, inquit, Antagonista noster, est illustre stellis: Quæso te qua parte? Etenim stellarum cœlum figura esse orbiculari & oculi testantur & conuincit experientia. Atque adeo manifestum est ornatum esse stellis parte concaua. Quid conuexa? Hanc esse putat noster Antagonista inutilem: Quamobrem? Quia Moses commemorasset. Quasi non sit perspicuum, nihil Mosen voluisse attingere quam quæ & ad hominis creationem pertinerent & sensuum iudicio testata essent. An idcirco statuendum est angelos omnes ac dæmones etiam ipsos permixtim cum hominibus in terra habitare? aut forte in immensum extendi? Sane nullum vnquam post homines natos seculum dubitauit, quin supra cœlos essent certæ

A cōmuni omnium gentium iudicio.

beatorum sedes, in quibus ipse Deus non modo certis atque indubitatis indicijs: sed plene ac perfecto fulgore suam maiestatem repræsentaret.

In cœlis & supra cœlos idem significare.

Quod autem hic sibi placet in cauillatoria illa distinctione, nempe cum Deus dicatur esse supra omnes cœlos: non posse igitur in ipsis cœlis esse: Ad Grammaticos ipsum relegandum puto. Illi enim docent ascendere in cœlum, tantundem valere ac supra cœlos: Deinde quod nos cœlum à cælando appellamus quod quasi concamerationis cælatæ figuram referat, id Hebræi ac Moses ipse שמים nominant. Et simul verbi notationem explicant: Quasi diceret. Ibi aquæ. Quandoquidem constat igitur cœlum & ipsam illam aquarum seu nubium congregationem significare & quicquid illa est sublimius: non video quid hunc moueat, cur in voce tam clara tam turpiter hallucinetur? quasi in cœlis esse & supra cœlos ascendisse simul nequeant consistere. Sed spiritus sancti in scripturis doctrinam aduertamus.

Ab autoritate Scripturæ.

Paulus in via, Christi voce atq; fulgore prosternitur: Vnde quæso tantus fulgor? Lucas certe inquit, è cœlo instar fulminis erupisse. Christus à Ioanne baptisatur: Cœli aperiuntur, vel, vt ait Marcus, finduntur. Spiritus descendit columbæ effigie. Vndenam? Ioannes profecto baptista turbis testatur, vidisse se spiritum è cœlo ea figura descendentem. Credo plebem hanc Ioannis vocem intellexisse de cœlo illo quod nusquam est: ac non potius de eo quod pueri ipsi vident esse cœlum. Elias in turbine rapitur igneo curru in cœlum. Quo quæso? Sane Elisæus videt eum sursum rapi ad ea loca, quæ cœlos dicimus. Quid Christus? Annon ipse suo corpore sublatus est in cœlum? Credo in cœlum aliquod quod nusquam est, & tamen est vbique. Minime vero. Docet enim Lucas tantisper è terra eum in sublime ascendisse, donec illum nubes aspectu Apostolorum eripuit. Quid hic est obscurum? Deinde Apostoli attoniti in cœlum oculis sublatis hiant. Mox apparent angeli, quæruntque quid ita in cœlum oculos tollant, testanturque illum ipsum Iesum, qui sursum ab illis in cœlum sublatus fuerit, ita venturum quemadmodum abijsse eum viderant. Quis non videt de eodem illo cœlo loqui angelos, quod Apostoli inspectabant? Negat tamen noster Antagonista in cœlum aspectabile Christum

stum fuisse sublatum. Quid ita? veretur nimirum absurditatem, si fateatur Christum cœlo teneri cōpræhēdiue. At quam tandem? Vnam illam scilicet, non fore illum suo corpore realiter præsentem in cœna. Magnum profecto nefas, & ipsa etiam cœlorum cum terra permixtione expiādum: Quasi è cœlo corporis Christi vis viuifica prodesse nobis nequeat.

Tandem postquam existimat se hisce cōmentis totam beatorum cohortem è cœlo deturbasse, alias ijs quærit sedes, quæ cum omnino nusquam locorum sint, sint tamen vbique. Duplex statuit cœlum. Alterum corporeum, Alterum spirituale. In hoc quod vbique protenditur, Deum cum angelis collocat. Ita & in hac terra vult esse cœlum, & tamē in cœlo nullum esse locum. Quod si ita est, iam non modo Christus, dum in terris degeret, sed omnes omnino homines extra omnem locorū circumscriptionem in cœlo habitent, necesse est. Tandem definit cœlum esse iustitiam pacem & gaudium: Eaque ratione Christus post mortem in cœlum receptus fuit, id est, in iustitiæ pacis & gaudij regnum. Quid vero ante mortem cum esset adhuc in terris? Annon erat huius regni particeps? Aiunt quidē sed non eadem gloria. Verum id sibi quomodo constat? præsertim cum per vnionem naturarum omnia omnino loca, ac etiā ipsos cœlos repleret ipse nullo loco circumscriptus? Quis non videt hæc esse hominum (pene dixerim) delirantium insomnia secum ipsa manifeste pugnantia? Atque vt vnam vnius verbuli (Est) realem interpretationem in sacramenti institutione tūeantur: non verentur infinitas alias voces realem actionē significantes (nimirum, ascendēdi, descendendi, mundū relinquendi, abeundi, cœlorum, terrarum, inferorum & sexcentas alias) nouis atque inauditis figuris vestire. Imo vero sursum deorsum omnia miscere. Noster enim Antagonista non vult, quod sursum est ab eo quod est deorsum re ipsa & loco differre.

Confutatio sententiæ aduersarij de ascensione Christi.

Quid autem? quod non veretur quasi ex tripode pronuntiare, Christum sua (vt ipse quidē vult) eleuatione in nubes (vt vero aiunt Apostoli ascensione in cœlum ipsum) spectaculum tantum instituisse visibile ac locale: partim vt ostenderet finem

ſeſe facturum humanis apparitionibus: partim vt declararet regnum ſuum non eſſe terrenum? Quaſi vero Chriſtus tanquam circulator aliquis Apoſtolorum oculos viſibili ſpectaculo eluſerit. Nam ſi vere aſcendit Chriſtus, vere ex inferiore loco abijt in ſuperiorem, atque adeo locis definitur: Si autem non aſcendit, oculos Apoſtolorum perſtrinxerit neceſſe eſt. Quare enim cũ fateamur eum ad nubes vſq; eleuatum, nolumus etiã ſupra cœlos aſpectabiles ſublatum? Quaſi vero Chriſto minus dignum fuerit tolli ſupra cœlos quam vſq; in nubes eleuari: Aut quaſi circumſcriptio localis hanc in nubes eleuationem minus conſequatur quam ipſam in cœlos aſcenſionem Sed quis non videt his commentis aut potius portentis, vniuerſam fidem labefactari?

Quiritatur bonus vir, ſi tropum admiſerimus in ſacramẽto, omnem fidei doctrinam cõuelli. Nimirum quia ſacramentum ſacramentaliter tantum, & non realiter rei ſignificatæ nomen accipiet. Vbi vero præcipua & maxime inſignia fidei capita in ſpectacula conuertit, non venit illi in mentem fidei conſeruandæ. Quæſo te bone lector ſi aſcenſio in cœlum nihil aliud ſignificat quam ſpectaculum quo demonſtretur Chriſtum non amplius appariturum: Ecquid ortus corporis ex vtero virginis etiam ſpectaculum erit appellandus, quo declaretur ipſum nobis apparriturum? Sunt enim vtrobique paria: Et hoc etiam locorum circumſcriptio non multo magis poſtulat: Quæ ſola illum cauſa mouet, cur hæc nobis ſpectacula obtrudat. Si ſublatio in cœlum, vel certe in nubes, tantum eſt ſpectaculum quo doceamur regnum eius non eſſe terrenum: Quid de ſublatione in crucem erit exiſtimandum? Nimirum fuiſſe non veram quidem ac realem ſublationem affixionemue (Nec enim vel in ſublime tolli, vel certo loco affigi poteſt, quod nulla locorum dimenſione circumſcribitur) ſed locale tantum ac viſibile ſpectaculum: quo doceremur Chriſti regnum fore plenum ignominia? Annon hęc ſpectacula fidem noſtram ab ipſis fundamentis euertunt? Id relinquo lectori ſine præiudicio æſtimandum: Sed ad rem.

Explicatio noſtræ de cœlo ſententiæ.

De cœlo quidem multa pronuntiare, non eſt noſtri inſtituti: & ſcimus fidelibus ea eſſe repoſita præmia quæ neq; oculus, neq; auris, neq; mens queat capere. Et hic agimus, non de cœlis,

lis, sed de symbolis panis & vini in sacra cœna. Verum id simpliciter profitemur credere nos, Christũ vere in cœlum ascendisse quo eum ascendentem viderunt Apostoli, Ibiq; sedere ad Dei patris dextram confitemur. Quo eum intelligimus summũ imperium, summamq; gloriam ac maiestatem accepisse. Scimus enim Deo neq; dexteram esse neq; sinistram vt frustra in hoc capite de Dei dextra noster exultet Antagonista. Nam etsi fatemur sessione ad dextram Dei notari summum imperiũ: Christum tamen corpore suo alibi quã in cœlo esse pernegamus. Neq; volumus omnino hæc duo fidei capita inter se confundi: quasi idem diuersis verbis notetur (quod ab illo factum videmus) sed aliud significari ascensione ipsa in cœlum quæ fuit aspectabilis: aliud ipsa sessione, quæ maiestatis gloriam notat asseueramus. Alioqui etenim cum hoc Antagonista symbolum Apostolorum in vndecim tantum articulos reuocaremus.

Sedere ad dexteram patris quid?

AD IIII. ARGVMENTVM SVMPTVM *ex articulo symboli Athanasij quod vnus tantum sit immensus, vnus infinitus. Ita corpus Christi immensum non esse.*

AD quartum argumentum suo more ad potentiam Dei nos reuocat: Sed de hac satis abũde egimus. Quod negat Christi humanitatem fore infinitam, etiamsi infinitis locis existat: Id quam sit firmum omnes vident. Nam etsi infinitum tam secundum initium consideratur: quam secundum finẽ cum habetur ratio temporis: Tamen cum de loco agitur, id vel infinitum vel immensum proprijs: dicitur, quod nullis locorũ spatijs potest terminari. Nec video cur cum sola Dei omnipotẽtia vnioneq; naturarum nitatur aduersarius, ad ponendam in Christi corpore locorũ immensitatẽ: non etiam eadẽ ratione temporũ infinitatẽ cogatur stabilire. Hæc enim & ad potẽtiæ diuinæ & ad vnionis trutinã reuocata vndiq; paria existũt: Itaq; fatemur nos quidẽ verbum factum carnẽ assumptione vnioneq; inseparabili: sed omnino negamus vel naturam verbi factã esse corpoream, id est, corporea dimensione constantẽ: vel carnis incorpoream eadẽ illa dimensione corporea, nedũ locorũ temporũq; circumscriptione vacantem: Quod ait Christum, nisi dimensionem corpoream tollas, omnemq; circumscriptionem auferas,

Quæ sit ratio infiniti & immensi?

non fore alio modo diuinæ naturæ vnitum quam sint cæteri viri sancti, longe fallitur. Sunt enim hæc & re & significatione diuersissima, cum diuina natura vere ac personaliter vnitum esse, & corpoream dimensionem amittere, aut immensum fieri. Neque alterum consequitur ex altero: Nisi forte neges Christum fixum cruci quia Deitas figi nequeat.

AD V. ARGVMENTVM A VERBIS *Christi, Iterum relinquo mundum, Item, Me nō semper habebitis vobiscum, &c. Ergo Christum non adesse corporaliter.*

IN sequenti argumento eludendo, multum se torquet sed ludit operam Res enim ipsa clarior est quā' vt huiusmodi offucijs possit obscurari. Christus cum obscure dixisset, sese aliquo temporis spatio non amplius visum iri ab Apostolis: Id ipsum paulo post clarissime explicat inquiens, Iterum relinquo mundum & ad patrem abeo. Hic discipuli respondent. Ecce nunc manifeste loqueris nec vlla vteris parœmia aut parabola. Noster vero Antagonista his Christi verbis clarissimis non modo parœmiam affingit sed crassas offundit tenebras. Non vult scilicet Christum reliquisse mundum. Quid ita? Quia miserrimi, inquit, simus, si nos plane reliquisset. Quasi siquis somniet nos penitus ab eo derelictos. An non Augustinus manifeste ait, secundum spiritum, potentiam, gloriam, virtutem, illum semper esse nobiscum: secundum carnem vero reliquisse mundum? Nihil est igitur cur hic nos miseros fingat, si Christus corporali præsentia in cœna non adfuerit: cum vel suo ipsius testimonio hæc presentia corporalis nos à miseria vindicare nequeat. Alioqui impij ipsi (quos ipse vult huius præsentiæ vsura frui nihilo secius quam pios) miseri esse desinant, fuerit necesse. Hic tamen dissimulans, totum argumentum esse Augustini non nostrū, fingit Augustinum pro se stare, & verba illa Christi quibus ait ad Apostolos, Hæc locutus sum vobis, cum essem adhuc apud vos, ita torquet quasi designet Christus sese apud illos iam non esse cum hæc loquitur. Sed aduerte cauillationē. Christus postquam semel Apostolos reliquerat, & tandem iterum ad eos venit, testatur se prædixisse ea, quæ contigerant omnia, etiā dum

adhuc ante apud illos esset: Ergo inquit hic bonus dialecticus, illo ipso momento apud illos iam non erat. Quasi non videant vel cæci ipsi priori præsentia non tolli posteriorem.

Sed quando possunt ita accipi verba Christi quasi de quotidiana illa sua atque vsitata consuetudine potius quam de præsentia loquatur, non repugno. Sed quid habet simile hæc locutio, Relinquo mundum vado ad patrem? An vero quia non amplius familiari illa consuetudine Apostolorum vtebatur: Idcirco erat illi mundus relinquendus? Hic iterum magnam troporum cateruam nobis obtrudit. In mundo esse, mundum relinquere, à patre venire, ad patrem ire, habere pauperes nobiscum, ipsum Christum non habere, discedere, & alia huiusmodi omnia figuris ac tropis vestit. Quamobrem tandem? Nimirũ, quia inquit, verba cœnæ longe clariora sunt & manifestiora. Itaque non debent ab his locutionibus etiam millies repetitis obscurari Primum ipse sibi repugnantiam confingit ex opinione præsentiæ realis præiudicata: Deinde non animaduertit hic agi de ea re, quæ sensu, quæ oculis Apostolorum, quæ omnium assensione fuit comprobata: Illic vero de symbolo ac sacramento. Non videt illic duo disparata alterum dici de altero Hic autem vulgari ac naturali loquendi consuetudine rem explicari. Nec obseruat multa illinc oriri absurda & pugnantia cum sensibus cum ratione, cum iudicio, cum vniuerso denique naturæ ordine: Hic nihil esse tale.

Hæc si expendisset paulo attentius, facile potuisset animaduertere vno se præiudicio adductum cur his tam manifestis loquendi formis tenebras esse offundendas putaret: propter eam, quam ipse sibi confinxit, tenebricosam perspicuitatem.

AD VI. ARGVMENTVM EX HIS LOcis sumptum, *Veniet quemadmodum vidistis eum abeuntem: Mortem domini annunciabitis donec veniat, Videbunt filium hominis venientem in nubibus, &c.*

IN sexto argumento diluendo, crambem suam denuo inculcat confundens sessionem à dextera, qua gloriam, imperium ac infinitam potentiam notat cum ascensione aspectabili in cœ

lum: Ac iterum cœlum terræ miscet. Aduentum in nubes reuelationem significare vt doceat multum incumbit, sed frustra. Nemo enim negat. Tantum dicimus angelorum docti testimonio illam ipsam reuelationem eiusmodi fore descensionem in nubes, cuiusmodi ascensio ex nubibus in cœlum facta est. Id illi erat euertendum, quod nunquam faciet.

Deinde inscienter & insulse ducit argumentum ab aspectu Dei qui est spiritus ad aspectum corporis, quæ est substātia corporea & sub sensum cadens: Itemq; ab aspectu oculorum quibus Apostoli Christi corpus in hoc mundo viderunt, ad eū quo in cœlo faciem patris visuri sumus, vbi angelis erimus similes. Fallitur preterea, quod putat Christum aliter in hoc mundo apparuisse quā reuera fuerit. Quod si semel admittatur, iam doctrina Marcionis de phantastico corpore erit ex inferis reuocāda.

Formam deinde corpoream commiscet cum Maiestate & ita ratiocinatur: Christus in cœlo alia est maiestate: Ergo & alia forma: quod nemo non videt perperam concludi.

Quod ait de hœdis & agnis, ego quidem neminem scio ex nostris qui hoc argumento ita vsus fuerit. Est enim mera parabola ac similitudo: Itaque nolim ex ea quicquam colligere.

Quod Stephani visionem attinet, non veritus est Theodoretus ex ea corporis Christi circumscriptionem elicere. Sed quia variæ sunt doctissimorum virorum hac de re sententiæ, & nos infinitis alijs argumentis valide muniti sumus ad euertendam hanc vbiquitatem: Ac ne ipsa quidem Antagonistæ explicatio causam suam iuuare potest: Ideo nolo hic meum interponere iudicium, ne temere aliquid de re non satis certa pronuntiem. Tantum commonefaciam lectorem non frustra notari à Luca, Stephanum oculos in cœlum sustulisse. Quod quidem nisi de aspectabili cœlo non potest intelligi. Deinde subiungere, vidisse eum cœlos apertos: An autem hic in eodem orationis contextu duplex & quidem diuersa cœli facies inducatur, prudenti Lectori æstimandum relinquo. Quod ad Pauli visionem attinet, audio eum pronuntiare, cognouisse sese Christum secundum carnem. Id autem debeatne referri ad eam visionem quæ facta est illi post ascensionem etiam lector iudicet.

Quod Antagonista varios Christi habitus inducit, nihil agit: Nec enim de habitu sed de corporea ac circumscripta substan-

stantia quæritur. Debebat ostendere corpus Christi aliquando apparuisse circumscriptum, aliquando non circumscriptum: Id quia non facit, actum agit.

Dictum Ambrosij nihil eum iuuat: Ambrosius enim non ait corpus ipsum esse vbiq;: sed tantũ de persona loquitur.

AD VII. ARGVMENTVM EX *loco Pauli ad Colossen. tertio capite. Quæ sursum sunt quærite vbi Christus est ad dexteram Dei, &c.*

IN septimo argumento paulinæ argumentationis robur eneruat: Etsi enim rebus terrenis carnales concupiscentias Paulus notat, cœlestibus regenerationẽ: Tamen certum est hæc cœlestia in nos minime cadere, nisi manent à Christo qui in sublimi est: Inde enim cœlestium nomen sortita sunt. Atque hoc est, quod Paulus iubet nos non modo sapere cœlestia: sed etiam ea quæ sursum sunt: nimirum vbi est Christus, in quo vno nostra est vita recondita. Hinc est quod alio loco ait nostram conuersationem esse in cœlis; Vnde & seruatorem expectamus qui corpora nostra suo corpori glorioso reddat similia. Hæc itaque nostri Antagonistæ explicatio etiam nostram sententiam confirmat. Phil. 3.

AD VIII. ARGVMENTVM EX VERbis Christi docentis manducationem sui corporis debere intelligi spiritualiter. *Quod caro non prodest quicquam, sed spiritus est qui viuificat.*

IN octauo dissuendo frustra desudat. Fatemur in cap. Ioan. 6. sacramẽtũ minime institui: certo tamẽ statuimus, scopũ ipsum ac finẽ qui multo post tẽpore in sacramẽto fuit propositus, hic edoceri. Quod ipsemet cõfiteri cogitur ita scribẽs. Vt sacramenti vsus sit salutaris necesse est, spiritualẽ mãducationem, de qua apud Ioan. agitur, accedere. Cum igitur in eo fructus omnis atque vtilitas sacramenti consistat, procul dubio hic vnus est sacramẽti finis. Iam vero sacramentorum finis cum promisione

necessario cohæret: Finis enim baptismi est vt regenerationis lauacro purgemur & vt fide accepta salui simus. In eodem etiam promissio versatur. Idem in agno: Idem in circumcisione dicendum est: Nunquam enim finis à promissione diuelli potest, nisi promissionem reddas penitus inutilem. Itaque quæ sit vera sacramenti cœnæ promissio in hoc sexto Ioannis capite vberrime explicatur, quando vsus ipse & vtilitas disertis verbis proponitur.

Quid diuersum habeat hæc tractatio ab institutione Cœnæ.

Id vnum igitur hæc tractatio ab institutione cœnæ diuersum habet, quod illic symbolum rei, hic res ipsa proponitur. Ita dicimus in cap. 3. Ioannis sermone ad Nicodemum rem baptismi proponi: Marci cap. vltimo symbolum ipsum & sacramentum rei. Ita in Genes. cap. 17. symbolum fœderis: In prophetis vbi de circumcisione cordis agitur res ipsa docetur.

Quod igitur hic arguit quia cœna nondum erat instituta: Ideo non posse demonstrari, cœnæ illa verba, Accipite & manducate, translatitie esse accipienda: quemadmodum in cap. 6. Ioannis accipi ea certum est, nihil efficit. Etenim cum agitur de manducatione corporis symbolo significati eodem vtrobique modo est accipienda. Cum de symbolorum nempe panis & vini manducatione fit sermo: sine dubio corporalis manducatio intelligitur. Ita in symbolo agni & liberatio corporalis et item manducatio agni corporalis proponitur. In re autem significata & liberatio spiritualis & manducatio veri agni nempe Christi quæ per fidem fit intelligitur. Fatemur itaq; Apostolorum nemini de institutione cœnę quicquam in mentem venire potuisse, antequam sacramentum esset institutum. De ipsa tamen re quę symbolis illis erat proponenda, erant iam ante à Christo luculenter edocti.

Quod igitur ex eo efficit, verba cœnæ ac manducationis non debere accipi translatitie: Id ei quidem concedimus hactenus, quoad de ipsis symbolis sermo fiat. Sin autem symbolis rerum nomen tribuitur: Tum vero asseueramus debere induci translatitiam significationem.

De

De interpretatione verborum Christi, Caro non prodest quicquam, &c.

Postulat vt demonstremus in his verbis, Caro non prodest quicquam agi de carne Christi. Verum id & res ipsa loquitur, & tota orationis series euincit. Christus enim ait carnem suam dari mundo ad manducandum. Capernaitæ ac cæteri auditores non dubitabant illum loqui de sua carne: Et quidem à Christi scopo hactenus non aberrant: Falluntur autem in eo quod in illa Christi carne nihil præter carnem illam & corpoream substantiam intuentur: Spiritus vero efficaciam, quæ illi corpori & carni indiuidue coniuncta manat in omnes eos, qui certa fide carnem illam pro se datam sibi persuadent, omnino non animaduertunt. Tum etiam illam ipsam carnem existimant non fide ac spiritu: sed corpore & ore realiter manducandam. Hos errores confutat Christus: & primum quidem vult eos non stupide solam carnem intueri: Illam enim per se nihil prodesse ait: omnem autem viuificationem, quam carni tribuat, à spiritu, qui carni suæ coniunctus sit, manare. Deinde concludit ea, quæ de manducatione carnis locutus fuerat, verba non posse ad realem aliquam & corporalem manducationem trahi, sed spiritum & vitam esse. Quæ sane doctrina, non modo dilucida est, sed capernaitarum errores efficacissime refellens, & ad totam superioris orationis seriem quam accommodatissima.

Quod vero hic macellum suum introducit, & putat illos existimasse frustulatim comedendam fuisse Christi carnem, nec ab euangelista commemoratur, nec à Christo eiusmodi error confutatur. Nec enim spiritus opponitur manducationi quæ fit per frusta: sed generatim omni manducationi, quæ fit ore corporis externo quoquo tandem modo id possit euenire, siue in macello, siue in sacello, siue per frusta & bolos, siue prorsus illæsum integrumq; deuoretur.

Quod autem causatur Christum non dixisse, Caro mea non prodest, nihil obstat. Nec enim simpliciter de sua carne loquitur: sed de quacunq; tandem, quæ à viuificatione spiritus separetur. Id cum de Christi carne capernaitæ censerent, vt qui in ea nihil nisi carnem animaduerterent: non dubium est quin ex communi illa nota ad quæstionis hypothesin suam responsionem Christus deducat, docens, ne suam quidem carnem ita

consideratam prodesse: Alioqui sane extra rem propositam euagaturus: sed fiat exemplo res clarior.

Nostri aduersarij volunt Christi carnem realiter vel ab impijs etiam ore corporis sumi non coniuncta spiritus viuificatione. Quis hic non optimo iure his Christi verbis eos redarguat? Caro nõ prodest quicquam. Spiritus est qui viuificat. Eo enim nomine carnis sub cõmuni genere, notatur etiam illa ipsa caro Christi, quam non verentur à spiritus viuificatione auellere. Ea tantum abest vt prosit, vt etiam multum officere grauioremq; afferre damnationẽ vel ipsimet fateantur. Nos quidem cum dicimus carnem nihil prodesse, non priuamus Christi carnẽ viuifica illa sua virtute quam accepit à spiritu: Sed negamus ab hoc spiritu auulsam posse omnino prodesse. Atq; est hæc non à nobis nuper inuenta, sed quondam ab Augustino tradita explicatio, qui sumpta similitudine ab illo Pauli loco (Scientia inflat, charitas ædificat) docet Christum hic intelligere de carne, quæ à spiritu diuellatur, quemadmodum illic de scientia quæ à charitate seiungitur: Eius verba recitat ipse antagonista suo nimirum telo sese conficiens. Nos igitur tantum abest vt hac sententia carnis Christi admirabilem diuinamq; virtutem obscuremus, vt omnino profiteamur, non posse eam nisi cum viuifica illa spiritus virtute coniunctam, ne fingi quidem, nedum realiter manducari.

Quod igitur aduersarius cateruam hæreticorum nobis obijcit, quasi vel Manem vel Marcionem in lucem reuocemus, ac deinde acerbe insectatur, quasi nos nitamur huiusmodi fundamento (Caro Christi nihil prodest, ergo non est in cœna) plenum est impudenti calumnia. Nos ne cogitauimus quidem vnquam carnem Christi nihil prodesse, qui semper constantissime asseuerauimus omnibus omnino prodesse, qui eam manducent: nimirum quod à spiritu viuifico diuelli nullo modo posset: Ipse autem ille est, cuius ex doctrina hæc tam præclara hæresis oriatur necesse est: Docet enim carnem Christi sæpius atq; adeo plerumq; non prodesse ijs qui tamen realiter illa vescantur: Etenim disiungit ac separat eam à spiritus viuificantis virtute. Deinde vero nos haud sane quidem vnquam tam insulso vsi sumus argumento. Caro non prodest, Ergo nõ est in cœna. Scimus etiam cœnam ipsam aliquando non prodesse, carnem autem Christi semper prodesse quam plurimum, quicunq; il-

lam

Iam reuera manducarunt: Sed hoc dicimus (cum nulla sit alia ratio vtilis manducandæ carnis Christi, quam ea quæ fide fieri intelligitur per spiritum viuificantem: Sit autē controuersum, quomodo verba cœnę accipi debeant) Satis ex eo intelligi, non debere illa verba nisi ad rationē huius spiritualis manducationis accōmodari, neq; posse fingi carnem Christi inutilem & à spiritu viuifico separatā illic porrigi: præsertim cum iam Christus morti proximus quasi testamentū illis cōderet, in quo nollet quicquam proponi nō ex omni parte salutare. Frustra itaq; multas absurditates conuerrit, quas non ex nostra doctrina, sed ex suo somnio colligit: potius debebat in suæ explicationis absurda vanitate attentius animanduertenda laborare.

Castigatio explicationis ab aduersario propositæ.

Ponit fundamentum & tanquam ex oraculo pronuntiat. Quotiescunq; in scripturis caro opponitur spiritui, id nō posse intelligi de carne aut corpore Christi, sed semper de veteri Adamo. Hic arrigat aures pius lector, & tam solidū fundamentum, non modo primo capite sed primo pene versiculo epistolarum paulinarum funditus disturbari animaduertat Paulus enim ait Euangelium suum esse de filio Dei facto ex semine Dauidis secundum carnem definito autem filio Dei secundum spiritū sanctificationis, &c. Viden' hic carnē spiritui per antithesin oppositam, non tamen intelligi de veteri Adamo, aut peccati corruptione sed de ipsissimo Christi corpore. Petrus etiā inquit Christum carne quidem mortuum viuificatum vero spiritu, &c. In quo non modo carnem ipsam & corpus Christi opponit spiritui, verum etiam clare ostendit, ex quo fonte viuificationis vis & gratia tum ad illam ipsam carnem, tum ab illa vsq; ad nos manet: adeo vt ex eo loci præsentis sententiā facile elicias: Si attendas nudam carnem & à spiritu auulsam, nō modo cæteros, sed ne se quidem ipsam posse viuificare. Alioqui enim non fuerit necesse personam mediatoris, Dei essentia ac virtute constare, si sola per sese caro mortis imperium posset destruere.

Itaq; operepretium fecerit hic noster Antagonista, si primum sui fundamenti nō modo infirmi, sed etiā falsissimi vitiū corrigat: antequam nostræ interpretationis pridem Augustini calcudo comprobatæ, tam seuerum censorē sese præbeat. Discat præterea extra verbum Dei esse, quod ipse sibi comminiscitur, Manducari aliquod corpus realiter posse, quod in stomachum

tamen non demittatur. Aut certe verbo Dei doceat aliquam vnam exceptionem à generali illa Christi regula statuendam esse, qua ait: Quicquid intrat per os non coinquinat hominem vlterius enim abit in stomachum & exinde in intestina. Adducat etiam causam cur Christi corpus in manibus ac ore potius cum pane realiter iunctum sit quam in stomacho atq; intestinis: Postremo explicet quam diu hæc realis panis cum corpore vnio perduret, quando tamen & qua vi aut arte dissoluatur. Si dicet hæc esse vel humana vel etiam profana argumenta: Nos vicissim & humanum & profanum eius de realitate commentum dicemus. Neq; manducandi verbum ore tantum sumere, & non etiam stomacho & intestinis accipere notat.

Quod autem cauillatur, si manducare nihil sit aliud quam credere, & corpus nihil nisi symbolum, nullum externum ritum in cœna institutum iri, ipse cum sua vmbra digladiatur. Nos enim verbum manducandi in propria significatione sumimus & ad panem referri dicimus: Cuius manducatione per fidem ipsum Christi verum corpus nobiscum vniri demus, quæ vnitio vel interior manducatio externo panis symbolo nobis confirmetur. Quemadmodum si quis dicat, abluite vos aut baptisamini hac aqua: Hæc enim est regeneratio spiritualis: Hic sane verbum baptisandi vel abluendi non significat credere, neque regeneratio spiritualis symbolum notat. Illud enim ad ipsam aquam refertur, in qua ritus externus consistit: Hoc autem rem ipsam interiorem, quæ illo ritu significantissime exprimitur, denotat.

AD IX. ARGVMENTVM: QVIA IN *Sacamentis veteris Testamenti nomen rei signatæ per metonymiam tribuatur signo: Ideo per eandem metonymiam cœnæ verba esse interpretanda.*

NOnum argumentum etiam regula, non quidem falsa, sed ambigua & male ad rem apposita conatur eludere. Ait enim de sacramentis esse iudicandum ex propria cuiusq; institutione, non ex loco similium. In qua regula statuenda non animaduertit turpiter se peccare, non distincto genere à singulis

lis speciebus: Fatemur enim singula sacramenta ex vnius cuiusque institutione æstimanda, in eo quod vnicuiq; est peculiare. In eo autem quod sub genere sacramentorum comprehenduntur, non singula per se, sed omnia generatim ex communi sacramentorum natura pensitanda esse dicimus. Quemadmodum cum de homine & equo disserimus, quamdiu in communi notione versamur, nempe quatenus vtrumq; sub genere animalium continetur, non dubitamus ab vnius ratione argumentari ad alterum: Sin autem quæritur quæ sint cuiq; peculiaria: tum vero genus vtriq; commune relinquimus, & in specie singulari excutienda laboramus. Idem sane de sacramentis dicendum est, quorum est communis quædam inter se notio ad singula genera pertinens: Alioqui & baptismus pueris interdicatur & cœna mulieribus: Ex singulari enim cuiusq; institutione non potest doceri illis ea esse propria: sed ad communem sacramentorum similium naturam ratio habetur. Ita sane quia omnibus omnino sacramentis commune est, vt quoties ad exprimendam significationis emphasim, quod est rei significatæ proprium, id symbolo per verbum (Est) attribuitur: Id non realiter, sed pro sacramenti natura, id est, significatiue atq; symbolice accipi debeat, sine vlla vel transsubstantiatione vel consubstantiatione, vel deniq; signorum cum rebus confusanea permixtione: Ideo dicimus in hac cœnæ institutione idem debere intelligi. Non est igitur hoc nostrum argumentum petitum à simili sed à generis natura atq; analogia perpetua depromptũ.

Quod igitur ex verbis Cinglij pugnat, quasi nos à nobis confictam sententiã in verba cœnæ per vim inuehamus, non ita est. Hausimus enim hanc sententiã à natura, ab analogia, à partibus, à fine, ab effectis deniq; omnium sacramentorum, eique manifeste demonstramus Christi verba nihil repugnare. Vnũ tantum obstare, quo minus hæc interpretatio locum apud plerosq; inueniat: nimirum falsam & præiudicatum vulgi opinionem, quæ ex fonte orta transsubstantiationis in varios ac turbulentos, tum companationis, tum impanationis, tum suppanationis riuulos sese diffudit, qui tamen & à verbis & à natura sacramenti plane abhorrent.

Cætera quæ ad hunc locum affert, facile his positis, sua sponte euanescunt. Quod enim vult in singulis controuersijs verborum proprietatẽ esse attendendam, & maxime si articuli fidei

in propria sede fundantur & explicantur. Non grauate ei concedimus: Quoad intelligat hoc suo axiomate doctrinam illam suam de ascensione in cœlum, & de corporis Christi natura à fundamento euerti: Quod ad hanc vero præsentem controuersiam attinet, nihil contra nos facere. Nodus enim in eo versatur, non quid proprie significet, panem esse corpus Christi: Id enim omnes intelligunt, neq; quisquam est qui verbi proprietatem retineat: sed quid proprie significet, panem sacramentaliter esse corpus Christi. An his verbis realis præsentia corporis statuatur? An potius ratio loquendi omnibus sacramentis cõmunis vsurpetur? Nimirum vt hac voce sacramẽtaliter omnis realitas excludatur: quemadmodum cum dicimus, Agnum esse phase sacramentaliter: & baptismum spiritualem regenerationem.

AD X. ARGVMENTVM SVMPTVM *ex verbis Pauli, quod veteres æque baptisati fuerint ac nos, & eandem escam ac potum spiritualem (qui erat Christus sumpserint.*

IN sequenti argumento quasi sui oblitus, metã à se præfixam non veretur & quidem multis modis transilire: dum varias verborum figuras cõminiscitur, quibus manifestam Pauli doctrinam eludit. Quod enim Paulo est spirituale hic cõuertit in miraculosum: ex petra facit Christũ & nouã Tautologiã inducit, quasi his verbis, Petra erat Christus, nihil aliud significetur. quam Christũ fuisse Christũ: Sed ordine singula expendamus:

Ait magnũ esse discrimen inter veteris & noui testamenti sacramenta. Id omnes fatentur quadantenus, sed non per omnia, sane, quod ad rem ipsam vtrobiq; significatam attinet, & Augustinus ex paulo asseuerat, & nos constanter credimus, nihil fuisse differentiæ. Vnus enim Christus, vnum illud semen promissum, iustitia erat quam fide patres consequebantur, sacramentis quasi sigillis obsignabant.

In Ioan. tractatu 26. & 45. In Psalm. 77. Lib. 9. cont. Faustũ cap. 13.

Confutatio discriminis ab aduersario positi inter veteris & noui Testamenti sacramenta.

Hic tamen fingit noui fœderis sacramenta, hoc habere peculiare quod promissarum rerum præsentiam flagitent: Atq; adeo præsentiam trinitatis in baptismo præsentiæ illi fictitiæ corporis Christi in cœna æquat. Quasi vero promissio ac finis baptismi versetur in præsentia trinitatis: ac non potins in ablu-

tione

tione peccatorum per fidem in sanguine Iesu Christi. Quemadmodum cœnæ promissio non in præsentia corporis, sed in eiusdem participatione aut cõmunione ad vitam cõsequendam per fidem in carnem Christi, consistit.

Deinde quis de aqua baptismi dixerit, hoc est, pater & filius & spiritus sanctus? Quod si tamẽ eadẽ est in baptismo trinitatis ratio, quæ est corporis Christi in cœna, ea loquendi forma erit non modo admittenda: sed etiam apta, propria & dilucida existimanda. Præterea si in baptismo eo modo adest trinitas, quo Christus adest in cœna (Adest autẽ Christus in cœna secũdum totam suam personã & quicquid in illa persona continetur realiter vt ipse certe vult) sane & ipsa trinitas secundũ trinam illam hypostasin in baptismo adsit necesse est. Si trina hypostasis & quicquid ea continetur, & Christi etiam personam, atq; adeo corpus ipsum realiter illic adesse efficietur: Ita de aqua baptismi non minus dicendum erit, Hoc est corpus meum, quam de pane in cœna proposito. Vide in quos labyrinthos te conijcias cum his tuis præsentiæ realis commentis?

Verum, esto: Demus in nostris sacramentis requiri præsentiam. Quid vero in antiqui fœderis sacramentis? An non etiam rerum præsentia flagitabatur? Quæso te, Trinitas num erat minus præsens in circumcisione quam in baptismo? Negabit fortasse, sed nihil agit. Doceat enim necesse est, pręcipuũ hic aliquẽ modũ præsentiæ in baptismo statui debere. Nisi forte ea verba (In nomine patris, filij & spiritus sancti) realiter significant illas personas illic præsto adesse & quide secus quam alijs locis. Quemadmodũ vult hæc verba (Hoc est corpus meum) tantundem significare quam, corpus meum est hic realiter præsens. Quod si ita est, nouam nobis cudat Grãmaticam. Sed fac tamen ita esse Quia in nomine trinitatis baptismus institutus sit, ideo trinitatẽ peculiari quadam ratione illic præsentẽ adesse. Quid tamẽ dicemus de circumcisione? Aut in cuius nomine factã existimabimus? Solius ne patris? Atqui Paulus ait Christum fuisse administrũ circumcisiõnis vt promissiones factas patribus ratas efficeret. An vero patris tantũ & filij? At ipse Deus promitit spiritu suo sese circumcisurũ corda populi sui. Videsne igitur etiam illic adesse trinitatem? & rerum præsentiam flagitari? Rom. 15.

Quid vero in agni paschalis sacrificio? Christus nominatur agnus ipse: Non potest igitur excludi: Spiritus autẽ sanctus ille

vnus eius sacramenti vim atque efficaciã in cordibus fidelium obsignat. Facessant igitur noua hominum commenta, qui pro arbitrio quicquid somniarunt, volunt haberi pro oraculis.

An vero quisquã ita amens est, qui neget Christum ipsum, dũ in nube & columna ignis populũ anteiret, essentialiter illis præsentem adfuisse? An autem minus præsens in cœna aderit, etiamsi corpore ipso atq; corporea substantia non sit præsens? Aut quia nos reuera corpori eius communicare in cœna fateamur, ideo etiam ipsum illud corpus realiter præsens esse & corporis ore sumi debeat? Quasi vero eius corpus corporis esca censeri debeat, ac non potius animi? Aut quasi Dei omnipotentia Christi corpore animas fideliũ pascere nequeat, nisi realiter præsenti, qui & animã & corpus solaris corporis virtute & si quam longissime disiuncti vegetet atq; exhilaret? Etsi igitur præsentiam corporis Christi concesserimus, nimirum eam quæ ad fidei rationem refertur: nihil tamen de reali aut corporali præsentia euicerit: cum hic non corporis (quod esca corporea nutritur) sed animi (qui fide viuit) ratio habeatur. Eadem autem fide patres vixisse, tota scriptura testatur.

De dissimilitudine maris & nubis ac Mannæ cum nostris sacramentis.

Negat deinde Manna & item baptismũ nubis ac rubri maris esse sacramenta. At Paulus certe alterum baptismo, alterum spirituali cibo exæquat, & cõueniunt etiam cum illa sacramentorum definitione ab aduersario posita. Nam si quærit promissionem, ea est aperta: Deum fore ducem populi sui & omnibus eius necessitatibus subuenturum: Quæ vel sexcenties inculcatur, si quando ipsa, ac symbola, quibus hæc promissio in semine Abrahami Christo inquã fundata, sancitur & quasi ob oculos ponitur. Fallitur itaq; quod existimat illum baptismũ nihil habuisse cum nostro præter solum nomen cõmune. Nam Paulus ipse sese explicans manifeste declarat rem etiam ipsam significatam fuisse communem. Etsi facile concesserim illic obscurius, hic autem clarissime & significantissime rem ipsam exprimi. Quod quærit, quæ fuerit in mari vel peccatorum remissio, vel vitæ renouatio. Certum est, ijs qui in eo maris transitu, Dei erga se amorem, in ductore Christo per fidem amplexi sunt (qui symbolo sane quam admirabili illis ponebatur ob oculos) eandem omnino & remissionem & regenerationem fuisse,

quæ

quæ sit omnibus hodie fidelibus. Quod ait Christo non esse commortuos, si de fidelibus loquitur, manifeste errat. Illa enim mortificatio, primum quidem circumcisione testata erat: deinde maris rubri fluctibus tantum non significãtius quam aqua baptismi exprimebatur. Sin autem infideles notat, fatemur: verum idem prorsus in nostris sacramentis locũ habere dicimus, quandoquidẽ impij nec in baptismo nec in cœna regenerãtur.

Quod Basilium huius sententiæ autorem laudat atq; adeo grauiter nobis succenset, nihil nos mouet. Scimus enim & Basiliũ & omnes propemodum patres, ac in primis Græcos in aliqua re vel amplificanda vel minuenda plerunque hyperbolis rhetoricis vsos fuisse: Etsi fatemur Basilij verba esse verissima, quando signa nuda spectantur, quemadmodum à maxima totius populi parte factitatum scimus: Cum enim Iudæi interiorem promissionem non intuerentur, nihil mirum est. si externum illis symbolum fuit inutile. Ita Paulus de lege loquitur ac Mosis doctrina 2. Cor. 3. Eam inutilẽ ac mortis nunciam appellans: Cum tamen Christus in ea procul dubio propositus fuisset. Ita Christus ipse apud Iudæos iactabundos de manna loquitur, illorum captui sese accommodans, quasi ad ventrem tantum pascendum datum fuisset: cum tamen fideles, qui in eo promissionem diuinam paternæ erga se beneuolentiæ (in Christo vero illo qui de cœlo descensurus erat pane factam) intuebantur: optimo iure panem angelorum Manna illud nuncuparẽt. Infidelium autem stupor symbola diuinæ beneficentiæ nõ potuit, nisi illis ipsis, qui in externo symbolo sine fide stupidi hærerent, irrita facere. Frustra itaq; nouum hic discrimen comminiscitur Antagonista.

Ioannis locus, quem allegat, nihil à se facit. Ioannes enim nõ dicit. Quod videmus quod palpamus, quod realiter ore corporis mãducamus: sed quod vidimus, quod palpauimus, nimirum dum in terris adhuc degeret Christus.

Quod ait nullum nos statuere discrimen inter vmbram & veritatem, manifesta est calumnia, nec indiget refutatione. Dicimus enim vnum Christum omnium sacramentorum tam veteris quam noui testamenti veritatem esse: Neq; ipsa sacramenta cum ipsa rei veritate permiscemus: Quemadmodum ipse omnino facit qui ea reali ac substantiali vnione inter se copulat. Sed ad locum Pauli.

Explicatio verborum Pauli.

Primum negat in his verbis (Eandem escam) fieri comparationem ad nostram escam: Id habet à Papistis, in quo manifeste pugnat cum Augustino: Imo vero cum Pauli scopo: cui hoc vnum est propositum, vt doceat, non debere nos externis diuinæ benignitatis tesseris confidere, quasi Deus magis nobis parcere debeat, si eum perfidia nostra atque flagitijs tentauerimus, quam quondam Iudæis pepercerit. Estq; pene simile exhortandi genus atque illud ad Rom 11. vbi de olea disputat & nos cum Iudæis comparat: nisi quod illic illos etiam extollit, hic vtrosque æquat. Ait enim non minus fuisse illos baptisatos, nec minus escam potumq; spiritualem accepisse quā nos. In quo manifestum est nobiscum fieri comparationē: Alioqui quid opus erat dixisse, in mari & nube illos fuisse baptisatos: cum sane nulla illic baptisatio reuera posit intelligi? Sed quia videbat Paulus Corinthios & baptismi & cœnæ symbolis tumidos, veram pietatem negligere: Ideo transitum per nubem & mare insignit nomine baptismi: Improprie certe quidem: sed tamen ad suum argumētum quam appositisime: Quo declaret Iudæos illis fuisse pares in eo quod eis tantopere addat animos: nec ideo tamē horribilem vltionem effugisse: Et ita sacramentorum inanem vsum extenuet, quo eos ad veram cœnæ dominicæ ac penitiorem considerationem reuocet.

Lib. 29. contra Faust. cap. 15.

Quam autem esset frigidum, Iudæos inter se comparare, cum non quæratur quid alteri Iudæorū distent alteris: sed quid nos præcipuū habeamus, cur existimemus nobis eandem vindictam minus imminere, si symbolis beneficentiæ diuinæ nulla neq; fide, neque pietate quasi per ludibrium abutamur. Paulus id omne illis excutit è manibus, docetque siquid sit inter illos ac Iudæos discriminis, id ex Iudæorum vitio contigisse, quod spiritum qui offerebatur contemnerent, & Christum qui repræsentabatur, sua infidelitate tentarent: Alioqui & illos baptisatos fuisse, & illos escam potumq; spiritualē accepisse, qui tantum abest, vt à nostro differret, vt illa ipsa petra, ex qua potus diffluebat, Christus fuerit: nimirum quemadmodum panis in cœna corpus Christi etiam est Et sane illa Pauli verba, Petra erat Christus nec minus sunt dilucida, nec minus realitatem introducentia, quam hæc de quibus omnis est nostra dissensio, vt facile ex eo iudicari queat, quid de vtroq; sit sentiendum.

Quod

Quod igitur spiritualem escam & potum vult vocari, quasi spirituale significet miraculosum, etiamsi Ambrosij autoritate niti se clamet: tamen & ratio ipsa & vsus loquendi & item autoritas Augustini prorsus reclamant. Paulus etiam ipse se explicat quamobrem potum illum spiritualem nuncuparit: nimirum quia petra erat Christus: Quemadmodum siquis dicat panem sacramenti esse cibum spirituale, quia sit corpus Domini.

Quod autem ait Paulum simili phrasi nominare Isaac filium spiritualem Abrahę Ismaelem autem carnalem: ridiculum se præbet, & mucronem tradit quo ipsum iugulemus: Paulus enim eo loco sui est interpres, inquiens, eum qui ex promissione natus sit, esse natum ex spiritu: & simul testatur nos omnes ex promissione natos esse & Saræ liberæ, & item cœlestis Ierusalem esse filios. Ex quo apparet, spirituale de eo dici, quod habet annexam promissionem, qua in filios adoptemur. Alioqui dicendum fuerit, fideles omnes per miraculum è Sara ortos esse, eo quod spirituales eius filij appellentur. Atq; hinc euincitur etiam Manna escam spiritualem nuncupari, quod haberet annexam adoptionis promissionem atque adeo cœnæ sacramento per omnia simile esset. Galatas 4.

AD XI. ARGVMENTVM A COMMVni ratione *sacramentorum noui testamenti inter se & perpetua eorundem analogia.*

IN vndecimo argumento confutando (quo docemus eandem esse baptismi ac cœnæ rationem: Ideoq; propositiones vtrobiq; substantiales ad eandem analogiam debere referri) sui semper est similis. Quæ sunt in controuersia sumit pro confessis: atque ex ijs quæ sunt etiam incertiora, statuit atq; ita omnino ratiocinatur, quasi verborum apices & syllabæ, ac non potius ipsa promissionis virtus fide accepta sacramenta efficiat.

AD XII. ARGVMENTVM A SIMILIbus *loquendi formis sumptum, quales sunt: Circumcisio est fœdus, Agnus est pesa: Petra erat Christus: baptismus est regeneratio spiritualis.*

IN duodecimo diluẽdo manifeste prodit, nunquã se intellexisse, in quo cõsistat nostri argumẽti robur: Ac primũ calũniam impingit, quasi ex nostra interpretat. efficiatur, omnes omnino

Quod nō recte qui n argumenti intellexerit aduersarius.

fidei articulos figurate esse enarrandos: Quod nobis nunquam venit in mentem. Ait nos ex singularibus exemplis regula statuere: Sed misere hallucinatur. Nos enim singularib. exemplis, quæ à nobis producuntur, nō nostram stabilimus sententiam: sed arcem illam companationis ex singularibus exemplis constructam euertimus. Etenim ipsi sic ratiocinantur. In verbis cœnæ dicitur panis esse Christi corpus: Ergo realiter id accipi debet, & non tropice. Quæ sane complexio nullum pondus habet, nisi primum generali axiomate constituto. Quod vbicunque per verbum (est) alterum alteri tribuitur, etiamsi sint disparata, semper est intelligendum, realiter non tropice illud accipi. Hinc enim assumitur: Atqui in cœnæ sacramēto corpus Christi per verbum (est) tribuitur pani: Ergo realiter non tropice accipi debet. In illo agitur axiomate totum companationis robur versatur: Illo euerso restat, vt piscibus sint magis muti. Ita autē euertimus. In circumcisione, in agno paschali, in petra & alijs quamplurimis, attributa tribuuntur subiectis per verbum (est) nec tamen realiter debent intelligi. Ergo falsa est illa regula.

Viden' lector minime nos ex singularibus colligere, sed argumentum quod ex singularibus erat compositum euertere? satis enim est vnum singulare tolli, vt generalem notam falsissimam esse demonstres. Tantum autem abest, vt quoties alterū alteri tribuitur per verbū (est,) semper id realiter intelligi debeat, vt nunquam in sacramentis res signata tribuatur signo per verbum (est) quin eiusmodi propositio per figuram ac tropū debeat explicari. Non igitur quia aliquando huiusmodi substātiales prædicationes realiter intelliguntur: nimirum quando genus vel species vel aliquod accidens de quapiam re dicitur: Ideo verum est, id etiam in sacramentalibus propositionibus & in prędicationibus disparatorum debere recipi: Id enim esset ex singularibus argumentari.

Ab exemplo aduersarij absurditatem esse euitandam figurata explicatione.

Sed non possum satis admirari huius nostri Antagonistæ, viri alioqui docti supinam incogitantiam: Qui cum ita grauiter nos incesset, quod absurditatis ratione ducti verba cœnę (vt clamat) manifesta velimus per tropum declarare: ipse tamen ad eundem lapidem hic impingit: Nempe cum Christus inquit,

Ego

Ego ſum vitis vera: non venit illi in mentem, vel magnificæ illius omnipotentiæ quæ vel abſurdiſsima quæque rata poteſt efficere: vel vnionis naturarum, qua Chriſtus non minus ad vineæ quam ad panis ſubſtantiam extenditur: vel denique proprietatis verborum tantum, quia ſenſus alioqui abſurdus eſſet: Ideo iubet ſermonem per figurã mitigari. Sed demus hoc eius autoritati.

Illud vero quod negat in ſcriptura hęc verba reperiri, Circũciſio eſt fœdus meum, non poteſt niſi cauillandi ſtudio tribui. Omnino enim quemadmodum in cœna Chriſtus iubet accipi ac manducari panẽ & ſubijcit, Hoc eſt corpus meum: Ita in circumciſione Dominus ait, Hoc eſt fœdus meum, circumcidite omnem maſculum. Quis autem non videt hæc eſſe vtrobiq; paria? Tamẽ quia ſentit hoc effugio ſe non iuuari, alio recurrit. A ſimili.

Ab ipſa aduerſarij explicatione.

Vox inquit circumciſionis alias latius pro tota circumciſionis actione ſumitur & tum eſt ipſiſsimum fœdus: Aliâs anguſtius pro ſola præputij abſciſione: tum autem eſt ſignum fœderis: Idemq; de baptiſmo dici poſſe tradit. Sed quis ei dabit actionem circumciſionis eſſe fœdus, niſi ſimul hac voce actionis compræhendat rem ſignificatam. nimirum promiſsionem Dei fide acceptam ab eo qui patitur ſe circumcidi? Quod ſi ita eſt, quid obſtat quo minus idem de panis ſacramentalis manducatione ſtatuendum ſentiat? Nimirum ſi pro tota actione cœnæ ſumpſeris & ſimul rem ipſam ſignificatam (promiſsionem ſcilicet, quod Chriſtus ſe tanquam panem pro mundi vita obtulit in ara crucis) cõplexus fueris, habere te procul dubio ipſiſsimam corporis Chriſti communionẽ: Sin autẽ panis voce elementum illud corruptibile intelligas, quo tantum myſterium ſignificatur, neque quicquam altius quam ipſam illius fractionem intuearis, omnino non poſſe id niſi corruptibile elementum ac nudum ſignum appellari.

Quod ſimilitudines quondam à Cinglio productas, qualis eſt illa, Septem boues ſeptem anni ſunt, exagitat: næ ille ſui ingenij imbecillitatem prodit. Zuinglius enim ijs rãtum vſus eſt, vt probaret, fruſtra ab aduerſarijs indubitanter concludi, quia verbum (eſt) ſit verbum ſubſtantiale, ſemper conſtituere propoſitiones reales. Conſtat enim id omnino non habere locum, Simili.

nisi rei subiectæ materia postulante. Sed qui Cinglium hoc nomine insectatur: is & Augustinum repræhendat qui his ipsis similitudinibus & exemplis vsus est in quęstionibus ad Leu. 57.

AD XIII. ARGVMENTVM SVMptum ex natura sacramentorum in quibus per Metonymiam nomen rei signatæ ad symbolum transfertur quam significantissime.

IN 13. argumento iterum calumniatur quasi nos doceamus in omnibus promissionibus sacramentalibus figuram subesse: Nos enim tum demum dicimus figuram intelligi, quando rei nomen symbolo tribuitur. Itaq; baptismi exemplum ab eo allatum nihil ad rem. Quod in exemplis de arca fœderis & de columba spiritus sancti quasi triumpho parto gloriatur, nę ille ante victoriam encomium canit: Agitur enim de verbis illis Columba est spiritus sanctus: Non autem, vt hic existimat, res ipsæ inter se conferuntur. Primum igitur nisi aliunde constaret spiritus sancti essentiam vbiq; diffundi, nunquam posset his verbis realis eius præsentia euinci: tantum demonstraretur columbam fuisse symbolũ ac typum spiritus sancti. Quod enim adest spiritus sanctus, non fit ratione columbæ sed ratione diuinę essentiæ, cuius illa columba nudum est symbolũ. Deinde nisi certo certius scriptura asseueraret spiritum eo descendisse: nõ esset profecto pij hominis ex huiusmodi propositione statuere, proprio quodam & peculiari modo spiritum sanctum illic præsentem adfuisse. Atq; idem de arca fœderis sentiendum est.

Ab exemplis.

In sacramento vero Christi corpus non esse spiritum, neq; essentiam diuinã quæ vsquequaq; diffundatur, ante probatum est. Deinde hoc ipsum Christi corpus vel huc descendisse vel præcipuo quodam modo sese exhibuisse, scriptura certe non conuincitur. Nihil est igitur reliquum quam vt verba illa significent, panem esse verum corporis symbolum. Quemadmodũ cum quis dicit columbam esse spiritũ, etiamsi alijs fortasse verbis ante declararit realem eius pręsentiam: tamen quod ad hanc propositionem attinet, nihil potest ex ea effici aliud quam columbam spiritus esse symbolum.

Quod tandem ait, neq; locali pręsentia, neq; dimensione, neque vero circumscriptione corpus Christi præsens illic adesse,

sed

ſed tantum ſacramentaliter, libenter accipimus: ſi modo recte intelligit, quid ſibi velit corpus aliquod ſacramẽtaliter eſſe præſens quod ipſum non ſit preſens circũſcriptiue pro natura corporis: Hoc eſt enim vnum in quo diſſenſionis totius cardo vertitur.

A confeſsione aduerſarij.

AD XIIII. ARGVMENTVM SVMptum ex varijs abſurditatibus realem verborum explicationem conſequentibus.

IN 14. argumẽto diſſoluendo ipſe ſibi aduerſatur. Cum enim ante dixerit eam propoſitionem, Ego ſum vitis vera, ſola ratione abſurditatis, figurate eſſe interpretandam: Hic contra docet ſatis eſſe, ſi quæuis abſurditates omnipotentiæ tegantur clypeo: quaſi Deus non æque ad vineæ ſubſtantiam quam ad eſſentiam panis omnipotentiam ſuam porrigat. Nam vtrobique verba plana ſunt. Deinde ſi ſola eſt verborum ratio habenda, neceſſe fuerit, panem ipſum eſſe Domini corpus, quo ſalutem cõſecuti ſimus. Fatemur quidem in fidei capitibus permulta eſſe quæ humano iudicio abſurda videantur: Sed eorum tum demum negamus rationem eſſe habendam, quoties ex rei ſubiectæ materia de voluntate Dei conſtat, nec vnius voculę ſignification imens obſtupefacta adhæreſcit.

A confeſsione aduerſarij.

Ab illis verbis, Quod pro vobis traditur.

Quod illa Chriſti verba, Quod pro vobis traditur, pro ſua cauſa adducit, næ ille haud ſatis intelligit, in quo conſiſtat controuerſia. Nemo enim negat, quin corpus ipſiſsimum Chriſti pro nobis in ſalutem ac vitam traditum fuerit. Non agimus igitur de imaginario aliquo corpore: Sed illud ipſum corpus, quod pro nobis in cruce pepẽdit, dicimus nobiſcum per fidem coniungi: cuius rei ſymbolum ac teſſeram Dominus in pane ac vino propoſuit: Quemadmodũ nemo imaginatur in circũciſione fœdus aliquod figuratũ, ſed verum illud Dei fœdus circumciſionis ſymbolo fidelibus fuiſſe propoſitum omnes fatemur. Itaq; ſiue hęc verba, Hoc eſt corpus meũ, ita interpreteris, quaſi dictum ſit, Hoc vobis exhibet, ſignificat, ponit ob oculos & quaſi præſens ſtatuit meum corpus: ſiue ita explices, Hoc eſt verum ſymbolum ac teſſera mei corporis, eodem plane res redit. Nec enim alterutro vel ſignum realiter immutari, vel rei ſignificatæ nimirum corporis veritas tolli fingitur. Fruſtra

itaque nobis inuidiam conflare student aduersarij, quasi inter nos in verborum interpretatione magna sit dissensio, quia alij figurã ponunt in verbo (est) alij in voce, (corpus) Vtrum enim dixeris, Hoc significat corpus meum, vel, Hoc est corporis mei signum, nihil est discriminis. Quod igitur ex illis verbis corporis veritatem conatur astruere, quasi nos eam destruamus, cum vmbra ipse sua belligeratur.

Nostram doctrinam confirmari.

Nihil autem poterat efficacius ad eius companationem diluendam adferri quam ipsa Christi verba. Etenim si simpliciter de pane dixisset, esse suum corpus: etsi non modo Apostoli, sed omnes etiam pij facile animaduertissent, rei nomen tribui symbolo: potuisset tamen fortasse aliquid esse dubitationis. At vero cum aperte declaret, illud ipsum corpus esse, quod pro nobis sit tradendum, iam omnis, siquis restare poterat scrupulus, sublatus est. Nemo est enim tantus troporum osor, qui non videat panem ipsum nõ fuisse pro nobis traditum: neq; quod pro nobis traditum est pane contineri. Itaq; facile est intelligere, deberi per tropum propositionẽ explicari. Sane siquis oculis orbatus Christum hæc verba de calice pronuntiantẽ audiuisset, poculum illud esse suum sanguinem: potuisset forsan dubitare, an vere & realiter illo poculo Christi sanguis cõtineretur: At si audisset non esse modo sanguinem, sed illum ipsum sanguinẽ, qui pro nobis postea fundendus erat in remissionem peccatorum: profecto nisi etiam mente orbatus esset, non posset addubitare quin rei nomen symbolo per tropum tribueretur: quando constaret nondum effusum esse sanguinem in peccatorum remissionem: Id enim in ara crucis demum erat perficiendum. Si etiam adijceretur præceptum, Facite hoc in mei commemorationem, & item promissio, Quoties hoc feceritis, mortem Domini annuntiabitis: præfractus sane cauillator fuerit necesse est, qui ob vnius voculæ (est) realem interpretationem mordicus retinendam, non vellet per tropum ista explicari.

A nomine testamenti.

Quod etiam ad testamenti seu fœderis nomen, quod calici à Christo tribuitur, nos reuocat noster Antagonista, nisi tam serio rem ageret, putarem eum præuaricari. Quid enim est aliud testamentũ quam fœdus, grece διαθήκη, quasi dicas dispositio,

Hebraice

Hebraice ברית, id est, pactum. Quo nomine circúcisio ab ipso fœderis authore appellatur. Sane nemo videt calicem aut vinum non esse ipsum fœdus. Fœderis autem esse symbola etiam peruicacissimi aduersarij nobis concedant necesse est. Quod si igitur hæc verba, Hoc poculum est fœdus meum, tantundem valent atq; si dixeris, fœderis esse symbolum: omnino quemadmodum illa, Circumcisio est fædus meum, notant circumcisionem esse fœderis symbolum: Quid est cur nos tam anxie torqueamus, vt alienis de realitate commentis manifestam Christi sententiam obscuremus? Hoc cognito quæ hic producit cætera facile in fumum abibunt. Quod autem videri vult, si Christus symbolice ac tropice testamétum condens, locutus fuerit, quasi temulentum futurum fuisse, non caret blasphemia. Vidimus enim testantes plerunq; solere symbola, quæ vel in sui memoriam, vel in alicuius à se collati beneficij recordationem relinquant rerum signatarum nominibus & quidem significantissime insignire. Alioqui cur non eodem genere blasphemiæ tropum illum incessit, quo Christus moribundus matri charissimæ, Ioannem in sui locum suffecit, inquiens, Hic est filius tuus,

Nec attinet ad rem quod existimat, nisi introducatur realitas, magnam fore in verbis obscuritatem: cum omnis si quæ est obscuritas, vel realitate, vel certe in peruicacia præiudicatæ opinionis consistat. Nec enim Apostoli quicquam hic obscurum viderunt. Quod erat necesse tamen, si verba ad syllabarum amussim potius quam ad sacramentorum trutinam expendissent.. Infinita enim illis venissent in mentem, quæ ne per somnium quidem cogitarunt.

AD XV. ARGVMENTVM SVMPTVM *ab ipsis verbis quæ ne ab aduersarijs quidem omnino possunt sine tropo intelligi.*

IN decimo quinto argumento tractando videtur ignorare, quid sit figura vel tropus. Omnino enim figuram nos vocamus, omnem loquendi modum à propria ac naturali verborum proprietate, significatione vel tantillum declinantem. Ex quo & Antagonistam ipsum in verba Christi figuram inducere necessum est: nisi forte panem Christum esse vult, qui pro nobis in ara crucis sese obtulit. Quis enim ita loquitur, Panis est

A definitione tropi.

corpus meum,pro eo quod eſt, corpus meum eſt cum pane vel ſub pane? profecto quicquid agas, panis eſt panis & corpus corpus. Panem autem eſſe corpus vel calicem eſſe ſanguinem,ita ſunt diſparata, vt niſi per figuram intelligi non poſsint. Si companationem inuehis,iam figuram adhibes in ſacramentis prorſus inuſitatam. Sin autem ſymbolice propoſitionem interpretaris, elicis ſenſum & clariſsimum & ad ſacramenti inſtitutionem accommodatiſsimum,& in cæteris etiam ſacramentorum generibus vſitatum.

Verbo (Hoc) nihil poſſe niſi panem ſignificari.

Sed audi argutias: Non eſt,inquit,in verbis Chriſti figura, ſed tantum in his,Panis eſt corpus. Cedo quid ſibi vult illud (Hoc) An aliquam nobis nouam ſubſtantiam ſuccenturiabis? Neceſſe autem eſt vel ad panis te ſubſtantiam cõuertas vel eandem penitus euertas. Sed,inquit,Chriſtum non propriiſsime loqui de pane. Panem enim adeſſe manifeſte cernebãt Apoſtoli. O mirificos cauillos. Quaſi vero Chriſtus velit Apoſtolos edocere quid ipſe teneat manibus, quam ſubſtantiam vel frangat, vel in manus illis tradat,aut quid deniq; illis præſens ſit? Ac nõ potius quanam ratione memoriam ſuæ mortis ſignificantiſsimo ſacramento deberent celebrare. Sed quia hic animum atq; omnes ſenſus ad præſentiam ſemel obfirmauit,nihil niſi præſentiam ſomniat:Et quia Chriſtus non docet præſentem adeſſe panem(id enim facile erat videre) Ideo ad aliam præſentiã corporis nimirum conuolans negat illum de pane ſermonem facere. Sed quæſo quid iubet Chriſtus diuidi? Quid eſt quod ipſe manibus accipit, frangit,eiſq; diſtribuit? Euangeliſtæ profecto nihil eſſe aliud quam panem aſſeuerant:ac illum eſſe ſuum corpus dicere Chriſtum tradunt:Hic tamen negat. Quid ita? quia nimirum tropus eſſet admittendus. Diceres hominem in troporum perniciem coniuraſſe. Sed age.Si de pane non loquitur Chriſtus,panem certe in cœna inutilem eſſe neceſſe eſt. Nam ſi adeſt vbiq; Chriſtus ſuo corpore:& in cœna hoc dicit eſſe ſuum corpus,neq; tamen panem denotat: nihil impedit profecto cur omnino ſine pane æque illic eum adeſſe negemus: Et ita fruſtra ab his diſputatur, Chriſti corpus pani eſſe realiter coniunctum atq; ſubſtantialiter. Paulus etiam perperam docet,panem eſſe corporis Chriſti communionem: Imo vero ipſe Chriſtus qui

qui calicem diserte nominat. Sed non nominat, inquit, panem. Quid tum? An non satis aperte omnes panem esse videbant, nisi nomen etiam exprimeretur? Tandem non dubitat hic bonus syllabarum æstimator ipsa Christi verba manifeste adulterari: vt vel quauis ratione euincat Christum non agere de pane, sed de corpore pani coniuncto. Ait ipsos Euangelistas id clare esse testatos, nimirum quod Dominus dixerit, Hic sanguis est noui testamentti. Quid tandem erit adeo sacrosanctum quod eiusmodi commentorum non violet audacia? Quatuor enim Euangelistæ (Si modo Paulus etiam eo nomine censeatur) hæc recitant. Nemo plane est, qui huiusmodi verbis vtatur, quasi sanguis ipse Christi in subiecto ponatur. Omnes enim vel poculum aperte nominant, vel accepto vel distributo poculo recitant eum dixisse, Hoc est sanguis meus, ille inquam noui testamenti sanguis. Ita enim sonant verba & Matthæi & Marci, nimirum bis repetito articulo: Quæ sane nisi poculo attributa, nullo modo possunt intelligi.

A uerbis Euangelistarum.

Nec vero oscitanter transeundũ est, quod ea verba Marcus ita recenset, quasi iam posteaquam ex poculo propinato Apostoli bibissent, Christus ea pronuntiarit. Quod quidem videtur factum de industria, vt ne quis realem aliquam vel consubstantiationem vel transsubstantiationem somniaret.

A serie narrationis à Marco obseruata.

Quod aduersarius inducat figuras.

Postea quasi sui oblitus hic verborũ censor, ait, Lucam quidem nominasse poculum, sed tamen ostendisse sanguinem: In quo non modo à verbis Euangelistæ quam longissime recedit (Lucas enim aperte ait, Hoc poculum esse nouũ testamentum in suo sanguine, nisi quod more Hebræis vsitato verbum substantiuum omittit, quod tamen à Paulo in eadem phrasi supple tur) Verum etiam Synecdoches synecdochen, id est, duplicem figuram introducit. Prima enim figura, poculum nominari pro eo, quod continetur: Altera quod sanguinem vini loco sup ponit: nec enim potuit aliud quam vinum demonstrari. Hinc addit tertiam, quod sanguinem pro eo quod est, nouum testamentum in sanguine nominat. Quarta etiam consequitur, etsi dependet ex superioribus, ipsum nimirum poculum pro nobis esse effusum. Viden' lector in quam troporum cateruam se conijciat, qui vnicum tropum cane peius & angue odisse profitetur.

Ab ordine & naturali significatione verborum, quod realis coniunctio ex verbis nullo modo consequatur.

Itaque etsi demus Christum non demonstrare proprie poculum, neq; vinum contentum poculo: tamē à verborum proprietate ac perspicuitate discedere nostrum Antagonistam, est manifestum. Atque adeo inuictum illud proprietatis telum frangatur necesse est. Nam si ex verborum proprietate realis coniunctio attributi cum subiecto poni debet: loquitur autem Christus proprie de corpore nōn de pane: nihil profecto efficitur aliud quam corpus corpori realiter esse coniunctum. Alioqui ostendant necesse est, vnde hanc coniunctionem corporis cum pane hauserint. Etenim noster Antagonista omnino præsupponit, antequam Christus hæc verba pronuntiet, iam corpus pani esse coniunctum: & quasi hoc nobis probarit, docet Christum ea voce (Hoc) notare illud ipsum corpus, ita cum pane realiter copulatum, deq; eo corpore asseuerare, esse suum corpus.

A similibus positis ab Aduersario.

Quod quidem apposita similitudine explicat, vt si quis murum digito demonstrans dicat, hoc est calx. Is sane nihil aliud hac oratione agit, quam vt illam ipsam essentiā, quæ muro ante continebatur, verbo explicet. Adiungit & aliam similitudinem ferri candentis, quæ etsi ab hac hypothesi δὶσ διὰ πασῶν (quod aiunt) distet: tamen quo ad quidem aliquam similitudinem cum eius dogmate retinet, etiam declarat proprietatem verborum ab eo euerti. Primum certe, ferrum candens non est ignis, sed ignitū, id est, igneo calore præditum: Nec enim ignis in ferro corpus est aut substantia sed merum accidens. Sed licet fateamur esse corpus, tamen nemo vnquā de ferro dixerit, Hoc est ignis: nisi primū illa ignis substantia vel corpus (iam enim concessimus esse corpus) cum ferri substantia sit coniunctum vnitumq;: Alioqui cum dixeris (Hoc) non poteris ferrum ignitum intelligere, sed solum ferrum, quod falsissime asserueris esse ignem.

Eodem plane modo non potes de pane dicere: Hoc est corpus Christi, nisi primum statuas iam esse ante realiter vnitum

cum corpore: alioqui enim (Hoc) nihil aliud significaret quam nudũ panem. Quod si ita est, necesse est, vt intelligas, Christum accepisse panem iam vnitum suo corpori, eumque fractum dedisse discipulis, & tum demum vere dixisse, Hoc est corpus meum. Atq; ita intelligitur panis ille cum Christi corpore coniunctus fuisse, non quidem in sacramenti institutione, sed quo primum momento cœpit esse panis. Ex quo perspicuum fit omnino frustra iactare nostros aduersarios, sacramenti verbis suam realem coniunctionem statui. Quæ sane verba, nisi iam ante realis illa constitutio, ex alio quouis fonte manans fuisset constituta, vera omnino esse non poterunt: vt etiam ex dolij similitudine liquet, ab Antagonista hoc loco producta. Quando enim de dolio vere dicitur, Hoc est vinum: Necesse est iam ante vinum in illud dolium fuisse aliunde infusum: Quod ni ita esset, oratio falsa futura sit, quæ non spectat ad introducendam aliquam vini cum dolio coniunctionem: sed tantum ad eam, quæ iam ante fuerit, declarandam. Quod si iam vinum dolio fuisse contentum non demonstratur, antequam hæc propositio enuntiaretur necesse est, vel falsam esse propositionem, vel alio quopiã tropo debere explicari: Ita nisi probetur, corpus Christi fuisse cum pane realiter vnitum antequam hac oratione Christus vteretur, necesse fuerit vel orationem esse falsam (quod fieri nequit) vel per alium quempiam esse tropum explicandam.

Ex Vbiquitate non posse statui realem coniunctionem corporis cum pane.

Vt iam illud fuisse probent, necesse est, ad sacram illam suam vbiquitatis anchoram confugiant, statuantq; eius vi ac ratione fieri, vt vere corpus Christi omnibus omnino substancijs realiter coniungatur. In quo bis & quidem grauiter peccant: Primum enim sacramenti institutionem abolent, siquidem statuunt, Christum hic nihil instituisse: sed tantummodo vim coniunctionis quæ ex ratione vnionis suarum naturarum erat suo corpori cum pane declarasse: Atq; ita promissionis omnem efficaciam ac virtutem tollunt, quando ex mera sacramenti promissione nudam promissionem efficiunt, qua rerum à Deo conditarum vel naturalis vel certe ordinarius declaretur. Deinde quam manifestissime declarant, nullam se peculia-

rem huius sacramenti habere rationem : cum non modo de pane sacramentali velint dici posse, Hoc est corpus Christi:sed de omnibus omnino panibus atq; edulijs atq; adeo de omnibus creaturis & brutis & rationalibus & omni deniq; anima carentibus. Nam si non fuit Christi oratio vera, nisi ratione immensæ illius expansionis eius corporis:cuius vi factum erat, vt panis eius corpori coniunctus merito posset eius corpus appellari: Sane cum hæc expansio ad omnes omnino creaturas locum habet, efficitur & de cæteris idem reuera dici posse. Et si hoc est instituere sacramentum, declarare tantum realem illam coniunctionem, quæ est rebus creatis cum Christi corpore:Iam cuiuis erit integrũ, ex singulis creaturis singula efficere sacramenta: Quia de illis idem dici poterit, quod Christus de pane dixit: præsertim cum veritas à Deo immortali profecta, à quocunque tandem pronuntietur, pondus tamen suum debeat obtinere.

Viden' integerrime lector, in quos & quam inextricabiles Labyrinthos se conijciant, qui vt vnum effugiant tropum,non verentur in Christi verbis pro suo arbitratu aliud subiectum statuere, quod in rerum natura esse nunquam demonstrabunt. Et tamen si demonstrent nihil aliud agent, quam vt totam sacramentorum rationem subuertant. Neque possunt omnino statuere, Quando,vnde aut qua vi hæc tandem coniunctio fieri cœpta est.

Ab ipsa aduersarij ratione probatur Christi verba per tropum esse explicanda.

Sed audiamus causam cur subiectum ab Euangelistis diserte exppressum hic Antagonista vel reijciat, vel certe reali illa sua coniunctione ita consepeliat, vt non amplius subiecti loco haberi posit. Certum est inquit, Vinum illud aut poculum non fuisse in remisionem peccatorum effusum. Ergo necesse est Christum non ostendisse vinum sed sanguinem vino realiter coniunctum. Primum videat lector hanc interpretationem cum verborum proprietate minime cohærere: Nec enim alioqui subiectum immutari necesse erat. Deinde animaduertat quam sit hoc insipidum, Quia vinum pro nobis effusum non sit,ideo non loqui Christum simpliciter de vino,sed vino coniuncto sanguini, Quid enim an vinum ita sanguini cõiunctum,

aut

aut sanguis vino permixtus in peccatorum remissioné effusus fuisse dicetur? haud quaquã profecto, nisi totum salutis nostræ mysterium in ludificationem quampiam ioculatoriam volumus conuertere. Manifestum est igitur, ne loqui quidem Christum, de his substancijs realiter inter se copulatis: Quandoquidem non magis illæ pro nobis effusæ fuerunt, quam vinum solum. Ita nihil est reliquum, nisi vt vtrumq; negemus demonstrari & aliud quoddam subiectum fulciamus realitate: aut certe tropicam expositionem quæ nos ex his difficultatibus sola potest eripere, admittamus.

Quod autem ab exemplo agni paschalis tam intricatum suum commentum tueri studet: id contra eum quam plurimum valet: In eo enim sacramento non demonstrabatur sanguis, vel vino vel Christi sanguini permixtus: Sed reuera sanguinis substantia, quæ non continebat quidem realiter at certe sacramentaliter atque adeo efficacissime repræsentabat veri illius agni Iesu Christi sanguinem, qui erat effundendus, ad postes cordium illinendos, quo essemus ab interitu Idololatrarum tuti atq; immunes. Ab exemplo agni paschalis.

Pronomen (Hoc) semper notare rem monstratam.

Quod deinde cauillatur quasi minus figurata sit locutio, si de columba monstrata dixero, Hoc est spiritus sanctus, atque si columbam nominaro dixeroq; Hæc columba est spiritus sanctus: Certum enim est pronomine demonstratiuo, nihil notari aliud quam quod sub sensuum iudicium cadit, atq; adeo vel nutu vel oculis vel digito commonstratur. Et sane oculi sensus, cum ipsa demonstratione conueniat necesse est. Siue igitur id quod cerno siue quod nomine proprio appello, spiritum esse dixero, par est vtrobiq; ratio, nisi forte spiritum ipsum, qui non videatur, digito demonstrari posse fatearis. Aut igitur corpus cum pane coniunctum sub sensum cadit, aut si non cadit sub sensum, ne sub demonstrationem quidem: Atq; adeo siue panem nomines, siue eundem demonstres, eodem penitus res recidit. Id ita se habere testantur Euangelistæ, quorũ alteri aiunt, Christum poculo ostenso dixisse, Hoc vel Hic est sanguis meus Alteri aperte poculi nomen expressisse asseuerant. A uerbis Euangelistarum.

A confeßione aduersarij.

Necesse est itaq; ex his cauillationum latebris, in lucem trahatur noster Antagonista & aperte interrogetur, quid Christus acceperit, quid dederit, &c. Ita enim cogetur demum confiteri (quod non potest hoc loco dissimulare) hanc promissionem, Panis est corpus esse inusitatam & sacramentalem prædicationem: Etsi statim redit ad ingenium dum vult sacramentalem prædicationem explicari his cirumlocutionibus, In, sub, cum, Verum amabo quid est sacramentalis prædicatio, nisi cum aliquid prædicatur, id est, subiecto attribuitur, non quidem realiter sed ratione sacramenti, id est, sacrati signi? vt ante ostendimus: Alioqui si illa tria, In, cum, sub, sacramentalium propositionum explicationes censentur, necesse erit, agnum esse realiter in vel sub vel cum transitu, calicem esse sub nouo testamento, baptismum esse, vel sub vel cum regeneratione. Et quia procul dubio sacramenta habent ratione ad signa & symbola profana, quam Dei fœdus sacrosanctum habet ad fœdera, contractus, societatesq; profanas: Ideo necesse erit ordinem equestrem sub insigni velleris aurei delitescere, vel saltem cum eo coniungi & in annulo matrimonium contineri, quæ vel pueris cachninos moueant.

A definitione sacramentalis prædicationis.

A verborum proprietate.

Quin tu igitur potius nodum in scirpo desinens quærere & in aperta luce cæcutire ad rem redis & vere sacramentali explicatione nimirum pro natura symboli ac signi suauissimam illam ac significantissimam sacramenti institutionem interpreteris? Aut si ad verborum proprietatem animum obfirmasti vel panem esse ipsum Christum statuito (Ita enim verba sonant) vel certe transsubstantiationem retineto: Ad quam stabiliendam & omnipotentia æque est efficax & vnio personalis naturarum in Christo æque accommodata & verborum etiam proprieta fortasse conuenientior.

A duplici vnione quæ coniunctionem realem consequitur.

Etsi nihil aliud hoc certe cōmodum cōsequeris, quod nō erit tibi necesse, duplici vnionis commento à nostra (vt quidem vocas) calumnia te liberare. Nos enim ita sumus stupidi, vt cum fatearis panem realiter esse coniunctum cum Christo & Deo & homine, nihil possimus odorari, cur hæc coniunctio

non

coniunctio non debeat appellari hypostatica: præsertim cum tuæ illæ similitudines ad hypostaticam vnionem belle conueniant. Ferrum enim cum igne vnam constituit hypostasin: caro & sanguis cum homine, calix & lapis cum muro: Dolium etiam cum vino si non proprie, at certe hactenus, quo ad potest ad tuam causam accommodari. Quod enim causaris in vnione hypostatica non recte dici vnum adesse cum altero quia non recte dicatur, homo adest cum Deo: quemadmodum statuis in hac tua reali coniunctione dici debere: Id non videmus quomodo te iuuet. Nec enim homo ipse, id est, persona humana cum Deo coniuncta est sed natura humana cum natura diuina est in vnam hypostasin copulata. Atqui recte posse dici naturam diuinam simul adesse cum natura humana in vna Christi persona, nemo est, qui ambigat: Atq; cum eam loquendi formam, in hac tua coniunctione non respuas (ex tua enim doctrina recte diceretur, Christum totum simul adesse cum substantia panis & ita cōiunctum efficere illud quod tu vis notari à Christo per pronomen (Hoc) non intelligimus, quomodo tuū illud (Cum) à nostra te calumnia posit liberare.

A contradicentia quæ consequitur vnionem realem non admissa vnione hypostatica.

Sed quando tamen non vis hypostaticam esse vnionem, declara quæso vtrum ne in poculo duæ contineantur hypostases, an vna sola. Si enim vna tantum cōtinetur vnionem esse hypostaticam fatearis necesse est: Si duæ, iam tuæ illæ similitudines de ferro candenti, de carne & sanguine in homine, de calce & lapide in muro prorsus corruūt: atq; adeo vero totum tuum fundamentum labascit. Nam si sunt duæ diuersæ hypostases: non potuit profecto Christus panis vinique hypostasi demonstrata per pronomen (Hoc) alteram illam hypostasin sui corporis à pane diuersam denotare. Nisi forte vis eius corporis & sanguinis substantiam per vniuersam panis ac vini substantiam penetrare, nimirum quemadmodum ignis in ferri substantiam & gelu solet extrema bruma in substantiam panis ac carnis atq; aquæ penetrare. Quod si ita est iam redis ad vnionem hypostaticam: Itaq; non video quomodo te ex hoc labyrintho posis extricare nisi forte illo tuo peruulgato effugio: Non esse

Dei mysteria humani ingenij acie inuestiganda, omnemq; curiositatem compescendam in ijs quæ Deus verbo suo declarauit: Nec tamē ita elabi te patiemur nisi primum aperto Dei verbo hāc tuam realitatem suffultam esse manifeste euiceris. Nam quod simpliciter verbis te credere clamas, actū agis. Idem enim magno supercilio intonabit Transubstantiator, & fortasse iure meliori. Quanquam inter vos sit hæc lis. Nos sane verbis omnino credimus, & si verborum sentētiam ex rei subiectæ materia, non ex syllabarum contentioso aucupio petendam ducimus. Et vero si verba spectentur, tua illa companationis fulcra, Sub, In, Cum, ex templo corruent, & ne transubstātiatio quidem locum vbi consistat inueniet. Erit enim panis nobis in Christi seruatoris locum sufficiendus. Non immerito igitur hæc nos vestigia terrent quo minus à perspicua Christi mente, ad vestra verborum portenta nos abduci patiamur.

AD XVI. ARGVMENTVM SVMptum ab ipsa Christi institutione, qui diuersa symbola ita distinxit, vt non posit rerum essentialis coniunctio statui, nisi vel confusis permixtim symbolis, vel ipsis rebus separatim diuulsis.

IN 16. argumento tantum non fatetur, nihil habere se quod respondeat, nisi quod fidei clypeo se tegit. Sed quæ tandem est hæc fides, extra Dei verbum varia rerum verborumq; portenta comminiscens? Christus aperte in cœna duo symbola ac sacramenta separatim instituit, alterum corporis, alterum sanguinis. Ex eo nos quam efficacissime concludimus mentem eius non fuisse, vt ea illic adessent realiter: Alioqui enim vel alterius institutionem futuram fuisse superuacaneam, vt quę altero realiter cōtineretur: vel rerum ipsarum significatarum, nimirum, corporis & sanguinis Christi distractionem fuisse consecuturā. Hi tamen volunt, realiter corpus quidem esse in pane, sanguinem autem in vino. Si obijcimus rerum distractionem cōsequi, tum clamant totum Christum & corpore & sanguine non modo realiter in singulis sacramentis adesse præsentem: sed etiam in omnibus omnino locis ac denique creaturis. Hic rursus

Propositio argumenti.

dum

dum in alium impingunt lapidem, quia nimirum frustra sub duobus diuersis symbolis nobis daretur, quod sub alterutro plene perfecteque contineatur: frustra etiam Christus rerum nomina in symbolis distribuisset (qui sane scrupulus ipsos Transsubstantiatores coegit sacramentorum institutionem altera sui parte mutilare) Hi quia nesciūt quo sese cum sua fictitia corporis omnipræsentia vertant, iterum ex illo vsitato latibulo veterem cantilenam occinunt. Non esse occulta Dei mysteria perrimanda: cum ipsi sibi occultum mysterium fabricarint: Nec enim alioqui occultum est Christi institutum, si realitate sublata, solā fidem adhibeas, quæ sola Dei vel abditissima arcana complectitur. Tamen ne manus dare videantur, respondent etiam, nullam distractionem corporis & sanguinis Christi consequi, ex hac panis & vini distinctione locali: quandoquidem corpus & sanguis adsint illocaliter, mysterijs nimirum tegētes mysteria. Quod vt demus, nunquam tamen confusionem sacramentorum diuersorum & re & nomine effugient. Aiunt quidem non frustra Christum distribuisse: Fatemur. Sed quia non frustra ita instituit (Instituisse autem frustra necesse fuerit si in diuulsæ omnipræsentiæ semel locus detur) ideo realitatis commentum humanum explodimus. Adijcit deinde noster Antagonista, esse sacramentalem actionem: Et id quidem fatemur: Atque adeo quia sacramentalis sit actio: Idcirco negamus omnino Christum voluisse, vt illa realitas introduceretur à sacramenti natura prorsus aliena. Postea cum vno verbo pronuntiauit, non otiose neque temere seorsim esse distributa, nodum autem nostri argumenti intactum reliquit, & tamen quasi re ex sententia confecta, etiam nos huius criminis, quo ipse tenetur, audet incusare: nimirum superuacaneæ confusionis sacramentorum. Ait enim: Si fide tantum sumatur corpus Christi, non etiam re ipsa, frustra fore institutam sacramentorum distinctionem. In quo vix me teneo, quin existimem, hæc eum mala fide conscripsisse. Nec enim ignorat ad hanc obiectionem nos minime obmutescere. Tamen si obmutesceremus, nihil haberet quod posset improperare, si eam respōdēdi rationē, quam ipse tenuit sequeremur. Nimirum, satis esse, quod ita Christus instituerit: Cur id fecerit, Deo curæ esse debere. Ita enim ipse se tuetur. Nos vero longe aliter.

Aduersariorū effugium.

Alterum effugium contra eos ualet.

Antagonistæ astus.

Fides res coniunctißimas distinguit non separat.

Nam corporis Christi vis, vnio, gratia, nutritio ac viuificatio à sanguinis ablutione purgatione, sanctificationeq; fide quidem facile, realiter autem distingui nullo modo potest. Quemadmodum enim Christus in crucem corpus suum affigi voluit & in carne sua inimicitiam abolere : sanguinis vero effusione à peccatis nos abluere: Ita hæc distincte fides amplectitur: nimirum, vere quidem vitam nobis eius corpore, sanguine redemptionem partam : vereq; corpore eius famem spiritualem, sanguine sitim extingui : Quæ tamen reipsa separari nullo modo possunt. Cum itaque fide distinguantur, quæ sunt inseparabiliter coniuncta re ipsa: efficitur profecto, realitatis imaginatione sublata, omnem cum distractionem tum confusionem tolli. Nisi forte quia in baptismo sanguinis ablutionem nihilo secius fides amplectitur quam in calicis mysterio : Ideo vel ille sanguis ab hoc re separabitur : vel vtriusque sacramentum confundetur. Sane eadem iustitia gratuita fuit quondam fide obsignata in circumcisione quę nunc proponitur in baptismo, nec tamen illa vel re diuersa est ab hac nec signis confusa.

A simili.

Ab aduersarij confeßione.

Quid quod ipse aduersarius fateri cogitur, in 6. Ioannis capite proponi corpus quidem Christi in escam, sanguinem in potum: Ea tamen quia fides & simul amplectitur & scite nouit distinguere: nemo dixerit reipsa vel realitate separari. Quod cum videret noster Antagonista, demiror equidem, cur tum illi non venerit in mentem eius quam hic nobis impingit calumniæ: nimirum si concesserimus, sola fide distinctim carnẽ manducari & potari sanguinem, superfluã fore Tautologiã, quia tũ de sanguine Christi recte dici posit eũ esse corpus & cõtra. Nõdum erat scilicet in eas redactus angustias, vt quod ipse sibi videret merito iri obiectum, id falsa calumnia putaret anteuertendum. Sed non videt se tanquam soricem suo præhendi indicio. Omnino enim constat, quæcunque fidei distinctim amplexanda proponuntur (quod ipse fatetur cap. Ioannis 6. fieri in corpore & sanguine Christi) ea neq; à rerum connexione indiuidua distrahi, neq; in diuersis sacramentis superuacanee proponi.

ni. Realis autem distinctionis longe aliam esse rationem. Quippe quæ realitate, coniunctionis vel præsentiæ distinguantur, omnino nequeunt inter se coniunctionem realem retinere: vel si retinent, absurdum est in diuersis sacramentis & reipsa distinctis separatim illa exhiberi.

Frustra atque putat se vno verbo posse concomitantiam effugere: Sanguis enim cum corpore ita realiter est coniunctus, vt vnius reali præsentia posita non possit sine magno scelere, alterius realitas amoueri: Nisi forte Christi corpus exangue fingi posse existimamus. Deinde quam est absurdum concomitantiam sanguinis à corpore exterminare: spiritus autem atque adeo totius diuinitatis concomitantiam non dubitare admittere. Nec enim cum Christus de pane inquit, Hoc est corpus meum, vllam vel spiritus vel diuinitatis mentionem iniicit, nō magis profecto quam sanguinis. Atqui tamen hic tantus concomitantiæ osor, nihil cunctatur, in hanc realem corporis societatem, totam etiam diuinitatis naturam, atque adeo ipsas diuinæ essentiæ proprietates (immensitatem, inquam, & vbiquitatem) aduocare: sanguinis autem concomitantiam, sine quo corpus ne vitam quidem animalem obtineat, aspernari. Quid ita? Videt nimirum sine Deitatis presentia vbiquitatem suam stare non posse: At vero sanguinis concomitantia sentit se in angustias coniici. Itaque pro sua autoritate id sibi concedit licentiæ: Quam etiam armat miraculo.

Concomitantiam non posse reiici ab aduersarij realitate.

A maiore ad minus.

Prætextus miraculorum extra verbum Dei inanis.

Clamat enim rem esse stupendam & miraculi plenam, quod Christi corpus sanguini annexum indiuidue: potest tamen sine sanguine realiter & adesse & pani coniunctum exhiberi, vt nulla consequatur distractio. Nec id modo: verum etiam si à sexcentis vno eodemq; tempore idem corpus realiter sumatur, & quidem ore corporeo, nullam tamen corporis diuisionem effici. Sed facit versuram, & quod aiunt, ex Charybdi se in Scyllam proiicit: Vt enim vnicam absurditatem realis, quam ipse sibi extra verbum Dei imaginatus est, præsentiæ tueatur: cogitur & sexcentas alias prætextu miraculi fabricare. Sed nihil est, quam obrem falso hoc miraculorum splēdore, oculos nobis perstringi posse speret. Scimus enim hanc miraculorum fabricam non ex institutione Christi (quæ recte intellecta nihil tale secum tra

hit) sed ex consubstantiationis officina proficisci. Quæ profecto non potest (omnino quemadmodum nec transubstantiatio) consistere, nisi tot miraculis quasi basibus suffulta retineatur.

AD XVII. ARGVMENTVM SVMptum à manducatione indignorum qui viuifici spiritus participes esse nequeunt. Atqui cum carnis Christi manducatio à viuificatione non separetur, sequitur ne manducationem quidem illis posse tribui. Hinc excluditur realitas.

IN 17. argumento diluẽdo magnopere desudat, nec quicquam tamen proficit. Nos enim statuimus hanc Christi sententiam esse planam, perspicuam, perpetuam atque indubitatam, quod quisquis ederit carnem eius & biberit eius sanguinem, vitam in se habeat, & in Christo inseparabiliter coniunctus maneat. Atqui cum panem sacramentalem edant impij, calicemq; bibant: neque tamen vel vitam consequantur, vel in Christo maneant, ex eo effici, ne carnem quidem Christi eos edere, neque bibere sanguinem: sed nuda tantum & carnis & sanguinis sacramẽta.

Eodem plane argumento vtitur Augustinus: definitq; impios tantum Sacramentotenus carnem Christi edere: Alibi ait, Sacramenta in solis electis efficere quod figurant. Et in hec ipsa verba, Qui manducauerit carnem meam, &c. ita scribit, Nempe virtutem sacramenti, non tantum visibile sacramentum, & quidem intus non foris, qui corde comedit, nõ qui premit dente, &cæt. Et hinc concludit, huius rei sacramentum quibusdam proponi in vitam, quibusdam in mortem: Rem vero ipsam, cuius est sacramẽtum, omnibus ad vitam, nulli ad exitium quicunq; eius fuerit particeps. Et paulo post. Ac per hoc; qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio nec manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit sanguinem: licet carnaliter & visibiliter premat dentibus signum corporis & sanguinis. Idem docet Homil. in Ioan. 59. & 62. libro de ciuitate Dei vigesimo primo, capite decimo quinto, contra Faustum

ſtum lib. decimo tertio cap. decimo ſexto & alijs locis infinitis.

Aduerſarij effugium.

Hic quia ſe irretitum ſentit, opponit alia verba Pauli, quibus ſe ſimpliciter niti profitetur, nimirum, vbi dicit, Qui panem indigne ſumpſerit, iudicium ſibi manducare. Ex quo non video equidem quid poſsit inferri, niſi panẽ ſumi ab indignis quod ſanè libenter damus: Quod autem corpus domini, realiter ſumant: Id neque Paulo in mentem venit, neque nos vnquam conceſſerimus: Eſt enim merum humani cerebri figmẽtum, manifeſtis Chriſti verbis reclamans: Atqui Antagoniſta ex Pauli verbis id neceſſario infert, nimirum quia Paulus dicat, Qui panem illum ederit indigne reum fieri corporis & ſanguinis Domini. Aſſeuerat autem tam atroci crimini obnoxium eſſe non poſſe, qui ſolum panem ſacramentalem indigne ſumpſerit. Atqui Paulus certe huius tantummodo panis mentionem facit. Eius manducationem tam eſſe vult ſacroſanctam, *Pauli uerbis reclamare.* vt qui ad eam acceſſerit indigne, is corpori ac ſanguini Chriſti fiat obnoxius. Cur igitur ab hac criminis atrocitate, homo mortalis liberet eum, quem ſpiritus Sancti oraculum ad eam manifeſte obſtrinxerit? Sed longe fallitur noſter Antagoniſta, qui manifeſtum Dei contemptum, corpus filij ſui ad vitam & ſalutem exhibentis, quaſi parui errati loco ducit. Deinde quod exiſtimat crimen verſari in ipſa ſumptione ex eoque efficit, Si non ſumant impij corpus, ne peccare quidem in corpus: in eo vero pueriliter ineptit: peccatum enim in indignitate verſatur: ea ex infidelitate oritur, quæ cõtemptum parit: nimirum, quod Chriſti corpus pro ſeſe oblatum in cruce, aſpernẽtur: Quod ſane nemo neget nefarium eſſe ſcelus.

Atque hoc illud eſt, quod Paulus notat, inquiens, eos non *Pauli uerborũ consideratio.* διακρίνειν id eſt, diſcernere aut eximium ducere corpus Domini. Eo enim verbo vtitur Paulus, quoties vult ſignificare æſtimationem ac pretium alicuius rei, quam præ cæteris eximiam ducimus. Quemadmodum, 1. Cor. 4. ferociter ſeſe efferentem ita compellat τίς γάρ σε διακρίνει, id eſt, quis te diſcernit? quaſi dicat, quis eſt ille tandem, qui te præ cæteris eximium reddit? vt manifeſtũ ſit hoc loco, nõ diſcernere corpus domini, nihil aliud ſignificare quã illud viuificum ac ſalutare Domini corpus, in ſacratiſsimo ſymbolo oblatũ quaſi rẽ aliquã vilem aſpernari. Quod ſi ita eſt

vt certe ex Pauli verbis liquet, iam fractum est telum aduersarij qui hoc modo ratiocinatur: Paulus inquit eos non discernere corpus: Ergo sumunt corpus realiter præsens: Siquidem absens corpus facile posset à pane discerni. Quo quid magis absurdú dici potest? An existimat eos tantum indigne sumere, qui realem corporis Christi præsentiam nequeant à pane discernere? Sane si ita se res habet, omnes consubstantiatores hoc crimine teneantur necesse est. Illi enim neq; volunt neque omnino posse se aiunt ea discernere quæ vnione prorsus reali inter se coniuncta esse sibi persuadent. Sed satis constat hoc vocabulum discernendi id significare quod ante diximus, nec referri ad corporis & panis discrimen, sed notare æstimationem ac reuerentiam. Quod si negat corpus Domini quenquam posse contemnere atque irreuerēter reijcere nisi qui ipsum illud realiter præsens, realiter sumpserit, audiat Apostolum ad Hebræos longe aliter decernentem. Is enim testatur, qui semel accepta cognitione veritatis in Apostasiam voluntariam per Euangelij contemptum delabantur, proculcare, filium Dei & sanguinem fœderis profanum æstimare. Imo vero alibi docet filium Dei ab illis denuo crucifigi & ludibrio exponi. Sane nemo non videt longe grauius esse proculcare, crucifigere, & ludibrio exponere quam non dijudicare. Quid vero an idcirco concludet hic bonus dialecticus, Christum illic realiter adesse præsentem qui se crucifigi ac pedibus proteri patiatur? An etiam Christum illos apostatas sumpsisse realiter in doctrina Euangelij? nimirum, quia vel non sit tam graue scelus filium Dei per fidem tantum oblatum, reijci, atque eundem realiter præsentem proteri? Aut quia nemo vel proculcare, vel crucifigere queat, quod non sit realiter præsens? Quis non videt hæc esse absurdissima? Atqui si eius ratiocinandi formam sequi volumus, omnino ita erit concludendum. Ipse enim ita ratiocinatur. Impij vel non discernunt corpus Domini: vel sunt rei corporis Domini: Ergo ipsum illud corpus realiter & ore corporeo manducarunt. Quasi vero non sit reus fœderis Domini, qui sabbatum, nudum fœderis signum violarit. Quasi non sit reus sanguinis Christi, qui eius ablutionem vel baptismo expressam vel Euangelij doctrina oblatam, profanam duxerit. Nisi forte, qui diploma regium aut sceptrum vel confregerit, vel in cloacam abiecerit: Is læsæ maiestatis regiæ reus habebitur: Qui autem diploma & symbolú

Aduersarij argumentum esse absurdum.

Ab autoritate Apostoli ad Hebræos.

Quid sit reum esse corporis vel alterius rei.

Dominici

Dominici corporis, in impuri cordis cloacam immiserit: Is à lęsæ maiestatis diuinæ & corporis violati crimine absoluetur?

Quod adducit Augustinum atq; Chrysostomum, nihil agit. Illi enim, fatemur, sępe dicunt, impios carnem Christi manducare (& nos id ipsum minime diffitemur) sed vbi ad explicationem ventum est, addunt Sacramentotenus id debere intelligi: Qua voce ipsa realitas excluditur. Ipse Apostolus fatetur filium Dei sanguinemq; eius ab Apostatis proculcari: nemo tamen ita est væcors, qui existimet id realiter ab illis fieri. Et sane filius Dei ait, pios ac fideles qui statuentur ad dexteram, lauisse sibi pedes, seq; inuisisse dum ægrotaret, dum esuriret, pauisse, ac iccirco consequetur in eius id persona factum realiter? Minime vero. Ipse enim sese explicat, inquiens. Quicquid in minimum horum cõtulistis beneficij, id ego mihi expensum refero.

Idem sane de sacramentis statuendum est: Idem de doctrina Euangelij atque adeo de illis ipsis, qui eam proponunt. Hos qui spernit, ipsum eorum autorem ac dominum spernit. Ita qui corporis sacramentum ac symbolum indigne sumit: Is profecto corpus ipsum afficit insigni contumelia: Ideoq; eleganter dicitur corpus ipsum sumpsisse indigne. Nam alioqui etiam salutem impios adeptos esse dicendum erit. Laudat enim hic noster Antagonista verba Augustini, quibus doceat, non modo corpus impios sumere sed salutem ipsam. Quod si realiter accipitur, omnes impij salui fiant necesse est: Sin minus, ne corpus quidem eos reuera sumpsisse intelligi potest.

Sed ex contrariorum ratione id elucescat: Contrariorum enim eandem esse doctrinam liquet. Sumptioni autem corporis contrarium est, sumptum corpus reijcere. Quod si igitur ore corporeo realiter sumitur, & eodem ore corporeo reijciatur necesse est. Atqui nemo est vsq; adeo amens qui existimet Christi corpus ore posse reijci: Ne ore quidem igitur sumi manifestum est. Quemadmodum enim quod per fidem sumitur, id nisi per infidelitatem reijci nõ potest, & quod spiritu animoq; accipitur, nisi spiritu non potest abijci: Ita quod ore sumitur, non potest nisi ore ipso reijci: nisi forte fingamus & stomacho & intestinis etiam sumi, quod negant aduersarij. Quamobrem Christi corpus ore sumi non posse, luce est clarius. A contrarijs.

Nostri argumenti confirmatio.

In eo porro argumento diluendo quo ostendimus carnem Christi cum spiritu uiuifico indiuiduo nexu ita esse copulatam, vt alterum disiungi ab altero nequeat, etiam pueriliter hallucinatur. Nos enim cum spiritum uiuificum nominamus, omnino non intelligimus alium quempiam spiritum quam eum qui omnia etiam inanimata sustentet atq; vegeret. Scimus enim vnum esse, & eundē spiritum qui adoptionē in cordibus fidelium obsignat atque eum qui super aquas in mundi creatione ferebatur: Tamen quia varia sunt ac diuersa eius dona, nos hoc nomine spiritus viuifici, non illam sustentationem, sed ipsum viuificationis salutisq; donum à cæteris eius virtutibus distinguimus. Ita cum spiritum uiuificum dicimus, non tam spiritum ipsum quam spiritus uiuificationis donum intelligimus. Quemadmodum videmus in scripturis distingui spiritum consilij à spiritu prophetiæ, & hunc à spiritu regenerationis atq; adoptionis, non quidem essentia, sed virtute aque efficacia. Iam cum sit certissimum uiuificum spiritum, id est, ipsam viuificationis gratiam à Christi carne nō posse auelli, quemadmodum in 6. cap. Ioan. abunde testatum Christus ipse reliquit: constet autem impios huius spiritus, id est, huius doni non fieri participes: necessario efficitur, ne carnis quidem Christi realiter participes fieri.

A significatione spiritus uiui fici.

Quod hic argutatur habere quidem impios spiritum viuificationis etsi non ad viuificationē, insipidum est sophisma: Idem enim valet ac si dicas. Impios quia spiritum prophetiæ acceperunt, etiam habere spiritum regenerationis (quia idem sit spiritus) sed non ad regenerationem: Aut quia eadem spiritus essentia omnia animalia vegetet, quæ adoptionem in fidelium cordibus obsignat: Ideo brutas etiā pecudes habere spiritum adoptionis, sed non ad obsignandā adoptionem. Hæc sane inutilia (ne quid grauius dicam) esse sophismata, nemo non videt. Quæcunq; igitur adfert de spiritu Saulis atq; impiorum: Quæ item producit, de iudicandi potestate Christo non minus data quam sit data vis viuificandi, sunt plane ἀπροσδιόνυσα: ostendendum enim erat impios spiritus viuificationis, id est, gratiæ viuificæ ex carne Christi fieri participes: Quod quia non facit, frustra operam ludit.

A fine manducationis.

Deinde erat porro declarandū, iudicandi potestatem, quam Christus acceperit coniunctam esse cum carnis manducatione

atq;

atq; in ea præcipue exerceri: quemadmodũ Christus docet viuificationẽ & spirituale nutritionẽ cum illa manducatione cohærere: Sed nunquã id ostendet. Certũ est enim Christum nõ ideo dare carnem suam manducandam vt mundum iudicet (alioqui nemo in iudicium venturus sit, nisi huius manducationis particeps) sed vt carnis suæ virtutẽ viuificam ad membra totius corporis, nimirum ad fideles affatim deriuet, eosq; in coniunctionẽ inseparabilem secum non minus arcte vniat, quam panis ac cibus vniatur cũ corpore. Id si non facit, nulla potest, ne intelligi quidẽ manducatio: Quippe cum realem eius corporis manducationem, nutritio atq; viuificatio necessario atq; perpetuo consequatur. Cum igitur hæc effecta in impijs locum minime inueniant: ne manducatio quidem illis tribui potest.

A consequentibus manducationem.

Quia autem non manducant: ideo iudiciũ sibi accersunt & omni vita ac viuificatione vacui in certũ mortis discrimen præcipites ruunt. Atq; hoc est illud quod ipsa veritas asseuerat. Qui non manducauerint carnem filij hominis nec biberint eius sanguinem, ij vitam habere nequeunt. Quod igitur impij viuificatione carent, Id eo accidit, quia vitæ autorem non manducant, neq; cum eo vniuntur. Atq; hæc ipsa est ratio, cur qui in manducatione vitæ autorem sese offert: Idem si manducatio reijciatur, iudex mortis constituitur, nimirũ quia vita illis oblata, fuerit per infidelitatem reiecta. Errat itaq; Antagonista, qui existimat, in ipsa carnis manducatione Christum proponi vt iudicem: Nam alioqui ipsam veritatem mentitam esse necesse fuerit, quæ sine viuificatione & salute corporis sui manducationẽ statui posse negat. Et sane si dixeris impios manducare carnem viuificam Christi, & eosdem tamen negaris viuificationis fieri participes: tantundem id certe fuerit quam si dixeris vere illos manducare carnem Christi, & tamen eandem vere manducare negaueris. Quod secum manifeste pugnat. Frustra itaq; noster aduersarius ante victoriam sibi encomium canit.

A causa mortis atq; iudicij.

A repugnantia uerborum.

Discrimen indignorum ab aduersarijs introductum eorum realitatem euertit.

Laqueos conscientiarũ quos grauiter insectatur, ex indignorum discrimine ipse sibi nectit: Nec enim nos in voce indignorũ vllas sectamur argutias. Simpliciter enim dicimus: Quicunq; vera fide Christo non vniuntur: omnino non eius carnẽ, sed carnis

tantum sacramentum edere. Itaq; pugnat cum sua vmbra in hoc argumento, vel potius cum sua doctrina: quæ non patitur, vt si prorsus impius atq; infidelis, vel omnino si canis, mus, aut aliud quoduis animal brutum panem sacramenti sumpserit, ipsum Christi corpus (quod tamen volunt esse cum pane realiter coniunctum) vere sumpsisse dicatur. Ex quo apparet statui ab illis discrimen inter indignorum ordines, quo posito ipsa realitas euertitur. Adde quod docent hunc panem extra vsum sacramenti non amplius esse cum Christi corpore coniunctum (alioqui enim circumgestationem adorationemq́; iterum deberent reuocare) ex quo primum quidem vbiquitatis commentum: deinde illud etiam illorum de manducatione impiorum dogma euertitur. Etenim si ita est, iam Christi corpus non est cum illo pane coniunctum per suam omnipræsentiam: Alioqui enim dissoluta coniunctione extra vsum sacramenti, etiam omnipræsentia tolleretur.

Deinde etiam profecto non possunt impij eius corpori omnino communicare, quando ad vsum sacramenti non attendunt: sed tantum vel vt hominibus sua hypocrisi satis faciant: vel certe vt Christi institutionem ludibrio exponant. Quę sane non magis censeri debent in vsu sacramenti, quam si canis ventris pascendi causa eodem illo pane vesceretur. Cum igitur sacramenti vsus (extra quem non consistere coniunctionem fatentur) in impijs intelligi non posit: ne coniunctio quidem realis illa intelligetur. Ita hoc realitatis commentum, non modo sub nostrorum argumentorum pondere: sed etiam sub eorum doctrinæ repugnantia fatiscat necesse est.

Ad cætera argumenta sumpta ab Autoritate patrum & veteris Ecclesiæ.

Cætera quæ sequuntur argumenta à patrum autoritate petita sunt, de qua breuiter aliquid dicendum est. Ac primum quidem fatemur patres infinitis locis panem sacramenti carnem ipsam Christi veram appellare. Ideoq́; ait Iustinus nos edoctos esse, hunc cibum per precationis verbum, quod à Christo prolatum est, benedictum illius Iesu Christi, qui homo factus est, carnem & sanguinem factum esse.

Eodem pertinent Ambrosij ac propemodum reliquorum omnium verba ab aduersario ad hanc causam producta. Sed quæso

quæso te bone lector, animaduerte propius an hæc patrum dicta vllo omnino modo ad consubstantiationis doctrinam possint pertinere? Ego sane si verba sine tropo sacramentali intelligantur, nihil ex ijs possim colligere, nisi vel panem in sacramento in corporis substantiam conuerti, vel si nulla fiat conuersio, ipsum panem esse verum Christi corpus. Horum vtrunq; pernegant aduersarij, & adhuc tamen clamant patrum verba à sese facere. Producunt multa testimonia tum ex Cyrillo tum ex Hilario, quibus declaretur hoc sacramento, nos reuera communicare non modo charitati, sed etiam carni Christi. Quod nostrum nemo vnquã negauit. At vel vnum aliquod, quod ostendant, ipsum panem cum corpore realiter cõiungi, non possunt producere: cum tamen in hoc vno omnis versetur nostra dissensio. Ex quo apparet primum quidem, verba patrum nihil ad consubstantiationem pertinere: Deinde vero non esse illa ex apicibus syllabarum sed ex ipsa patrum explicatione interpretanda.

Verba Cyrilli non posse trahi ad companationem.

Inprimis pugnant Cyrilli verbis, quibus, ait, nos cum Christo non modo spiritualiter iungi sed etiam secundum carnem. Et cum in nobis fiat virtus mysticæ benedictionis corporaliter quoq; efficere communicationem carnis Christi, Christum in nobis habitare, &c. Sed non vident primum quidem nullam I.
hic fieri habitationis Christi corporalis in pane: quæ vna vocatur in controuersiam, sed tantum habitationis Christi in fidelibus de qua nemo est qui ambigat. Deinde vero docere eum II.
hanc vnionem corporalem in nobis fieri, non quidem eius corporis manducatione sed virtute mysticæ benedictionis.

Tum etiam non obseruant, Cyrillum omnino illic agere de III.
perpetua fidelium cum Christo coniunctione, quæ sacramentis non sumptis, tamen intelligi in illis debet: Quemadmodum quoq; testatur Augustinus inquiens, Nulli aliquatenus dubitandum est, vnumquenq; fidelium corporis & sanguinis dominici tunc esse participem, quando in baptismate membrum efficitur Christi: nec alienari ab illius panis calicisque consortio etiamsi antequam panem illum edat calicemq; bibat, de hoc seculo migrauerit in vnitate corporis Christi constitutus: Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuabi-

Distinct. 2. de consec c. Quia passus.

tur, quando in ipso hoc quod illud sacramentum significat inuenitur. Hactenus Augustinus agens de perpetua fidelium cum corpore Christi coniunctione quæ sacramento cœnæ significatur atq; ob oculos ponitur. Agere autem de eadem Cyrillum ipsemet eodem loco declarat confirmans suam sententiam illis verbis: Ego sum vitis, vos vero Palmites: Non potestis vllum sine me fructum facere. Item ea Pauli sententia, Nos vnum esse cum Christo corpus & eius esse membra: Ac item ex 6. Ioannis capite: Quibus omnibus locis vel aduersariorum confessione euincimus agi de spirituali Christi cum fidelibus coniunctione

IIII. Postremo quod etiam plurimum contra illos facit, non animaduertunt Cyrillum loco ab illis allegato statuere hanc corporalem coniunctionem in solis fidelibus. Ex quo apparet, nunquam agnouisse illum vllam corporis Christi cum pane realem coniunctionem communicationemue, quę vel impijs ipsis corpus Christi manducandum traderet. Itaq; frustra profecto hæc testimonia cõgerunt, quibus quasi suo gladio iugulantur.

Sacramenta constare duabus rebus quomodo accipi debeat?

Pugnat præterea noster Antagonista ea Cyrilli ac cæterorum doctrina, qua tradunt in sacramento Eucharistiæ duas esse res cœlestem & terrestrem: Hoc ait nulla ratione eludi posse: quia alioqui eorum argumentum contra Apollinarem & Eutychen concidere esset necesse. Sed nemo hoc illi non dabit, si sacramentum non pro nudo symbolo accipit, sed pro tota actione, quæ rei sacramento significatæ coniuncta est, nimirum viuificationi vel nutritioni corporis Christi: ex qua admirabilis fidelium cum Christi carne vnio proficiscitur. Profecto enim & baptismus duabus rebus constat, cœlesti nimirum ablutione sanguinis Christi & regeneratione spirituali ac terrestri, nempe

Rom. 6. elemento aquæ: Hinc est quod Paulus ait in baptismo nos in-

Galat. 6. duere Christum: Et Augustinus loco iam allegato docet nos in baptismo corporis & sanguinis Christi fieri participes. Ipsa circumcisio annon duabus rebus constat: Iustitia nimirũ gratuita & ipso iustitiæ sigillo? Sane si sacramentum est signum visibile doni vel gratiæ inuisibilis, omnia omnino sacramenta duabus constent rebus necesse est. Hallucinatur itaque noster Antagonista in nomine sacramenti atque Eucharistiæ dum eo existi-

mat notari symbolum ab ipsa re signata atq; gratia inuisibili auulsum: vel certe symbolum cum corpore quidem coniunctum, sed tamen aliam gratiam adhuc notans. Ita enim necesse foret totum sacramentum non duabus tantum, sed tribus constare rebus: Ac præterea consequeretur, Christi corpus sine viuificatione symbolum esse & sacramentum eiusdem corporis cum viuificatione, quod est absurdissimum. Itaque ex hoc patrum dicto efficitur non ipsum quidem panis nudum symbolum, cum Christi corpore realiter coniungi, eamq; coniunctionem efficere sacramentum (ea enim ratione sacramentum deberet etiam extra vsum sacramenti cum corpore coniunctum remanere) sed omnino in tota illa actione Eucharistiæ, quæ sacramentum cœnæ dicitur, reuera exhiberi non nudum symbolum, sed carnem Christi seu rem ipsam symbolo significatam: quæ non quidem cum symbolo, sed cum ipsis fidelibus inseparabiliter vniatur: & quidem vsque eò vt illi vere sint os ex ossibus Christi & caro ex carne eius, vt vere Christus in eorum cordibus viuat atque inhabitet: & denique vt sint omnino vnum cum Christo, quemadmodum Christus & pater vnum sunt. Ex qua arctissima atque omnino admirabili copulatione (quæ tamen non fit nisi per fidem virtute spiritus sancti) patres suum ducunt argumentum, vt nimirum Christi cum patre coniunctionem demonstrent esse substantialem, quemadmodum Christi caro substantia eadem fuit cum nostra carne: ita vt vere fuerit caro nostra per quam virtute spiritus sancti arctissime cum fidelibus per fidem copuletur: non autem vt ostendant (quod hic noster Antagonista somniat) eam esse Christi cum patre coniunctionem quæ sit pani cum corpore Christi (quando vel ipsi aduersarij fateri coguntur eam coniunctionem non fieri nisi causa fidelium, atque in infidelibus quantacunque tandem sit copulatio, debere dissolui.) Id ita se habere facile animaduertent quicunque patrum verba atque sententias accurate pensitarint: Adeo vt frustra noster aduersarius ex illis suam realem Christi corporis cum pane coniunctionem stabilire moliatur.

Cur patres minus aperte contra companationem locuti sint.

Quod vero ait in patribus nunquam reperiri negatiuam,

quæ huic negotio seruiat, ipsa testimonia patrum, quæ inferius à nobis producentur, falsum esse conuincent. Sed tamen quamuis demus ita esse: habemus tamen quod illi suis etiam verbis respondeamus: nimirum quia nullos habebant aduersarios: nõ erat necesse in eo negando insistere, quod nemini vnquam venisset in mentem (Hanc enim rationem ipse prætexit cur minus disertis verbis patres realem coniunctionem expresserint) panem quidem esse corpus fatebantur omnes: nimirum quia sic erat Christus locutus: sed cum panis substantia corporis esse substantiam coniunctam, nemo diuinabat. Attendebant enim omnes non ad panis sed ad fidelium cum Christo, quæ pane illo notabatur, arctissimam vnionem.

Cur patres sacramenta rerum nominibus insigniant.

Quod autem panem ipsum toties carnem nominant & calicem sanguinem, non est mirum: versantur in amplificanda sacramenti dignitate, vt populum eiusmodi loquendi formis ad rei dignitatem, oculis fidei inspectandã incitent: Quem alioqui (si consubstantiationis habuissent rationem) potius à rerum cœlestium consideratione his loquendi formis abduxissent. Atq; idem profecto ab illis in baptismi cõmendatione factum videmus. Etsi huiusmodi hyperbolis nullam neq; transsubstantiationem neq; consubstantiationem rerum cum symbolis denotarunt: sed tantum (vt sæpe iam dictum est) arctissimam rerum significatarum cum fidelibus copulationem. Quemadmodum nobis ipsis persæpe vsu venit, vt quo hæc coniunctio significantius declaretur, ipsis symbolis rerum nomina tribuamus: nequis existimet inanem esse & iocularem actionem: Vbi vero ad explicationem veniendum est, tum profecto omnes crassas illas imaginationes, quæ symbolis aliquam dignitatem miraculosam tribuunt, tum aspernamur & figurate nos locutos esse aperte declaramus.

Patrum sententias non ex verbis sed ex sui ipsorum explicatione æstimandas.

Idem à patribus sedulo factitatum est: Nam ne quis ex illis hyperbolicis loquendi formis, in symbolis mentem defigeret, aperte testati sunt, figurate eas esse intelligendas. Ita Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, inquit, Acceptũ panem & distributum

Tertullianus.

butũ discipulis corpus suũ illum fecit (Hactenus videmus symbolo tribui nomen corporis, vnde tamẽ transubstantiatio potius quã substantiatio consequi videretur, ni sese ipse explicaret subijciẽs) Hoc est corpus meũ dicẽdo idest figura corporis mei: figura autem nõ esset, nisi esset veritatis corpus, &c. Quo sane nihil posit vel apertius vel ad rem accommodatius dici. Quæritur enim quomodo sint illa Christi verba intelligenda? Tertullianus ea explicat, quasi Christus notarit, panem esse figurã sui corporis.

Quod prope iisdem verbis vsurpauit Augustinus contra Adimantum Manichæum li.1.cap.12. Nondubitauit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cum daret signum sui corporis. Sane hic nullus relinquitur locus tergiuersationi. Id enim est in controuersia, quo sensu Christus appellarit panem suum corpus: Augustinus respondet signum corporis debere intelligi, Christum designasse. Augustinus.

Idem docetur à Cypriano, qui hanc adfert rationem, eo quod significantia & significata iisdem censeantur nominibus. Cyprianus.

Id ipsum à Theodoreto manifestissime tradi & exemplis confirmari, iam supra demonstratum est. Theodoretus.

Hesychius lib.6.cap.22. dicit verba à Christo addita debere nos in rectam eius mentis intelligentiam, quasi manu ducere, ne quid vel carnale vel terrenum proponamus, sed de his rebus sacratissimis diuine ac spiritualiter iudicemus. Hesychius.

Verum id ab Athanasio & sanctissimo & vetustissimo scriptore multo explicatur disertius qui ad illa verba: Qui dixerit verbum contra filium hominis &c. manifeste tradit, carnem Christi vix paucis hominibus ad escam suffecturam, nedum vt mundum vniuersum pasceret. Ideoque ait Christum ascensionis in cœlum iniecisse mentionem, vt nos à corporali intellectu abstraheret, doceretq; velle sese sua carne, de qua erat locutus, nos cœlitus pascere ac superne, & id quidem spiritualiter. Hoc enim quod loquitur (inquit) Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt, tantundem valet, ac si dixisset, Hoc meum corpus quod cernitis & quod pro mundo tradetur, id in cibum vobis dabitur, vt spiritualiter à vobis manducetur, & vestrum vnumquenque in resurrectionem ad vitam æternam cõseruet. Athanasius.

Ipsum Concilium Nicenum iubet nos in mensa Domini non inhærere symbolis sed sublata in altum mente per fidem Concilium Nicenum.

recolere, verum illum Dei agnum, qui peccata mundi tollit proponi: In quo nos vere eius sanguinis ac corporis participes fiamus, credereque hæc esse nostræ resurrectionis symbola.

Quod igitur Antagonista dicit, figuræ, typi, symbolique nomine realitatem non tolli, puerilis est cauillatio. Nec enim in quęstione est, quid hic sit præsens quid absens, sed quomodo verba Christi debeant intelligi? Ea patres vetustissimi per figurā interpretantur. Chrysost. in Psal. 22. etiā ait, hanc mensam nobis à Christo paratam vt nobis panem ac vinum in mysterium proponeret ad similitudinem corporis & sanguinis eius.

Chrysostomus.

Procopius.

Procopius imaginem, effigiem vel typum nominat corporis ac sanguinis.

Nihil igitur nobis obstare potest, etiamsi millies panem vocent carnem & millies dicant corpus tractari manibus & dente frangi: quādo ipsi sui sunt cōmodissimi interpretes, quod nō dubitent Christi exēplo, imaginē, typum, symbolum, figurā, sacramentum deniq; corporis, ipsius corporis nomine appellari.

Quid quod Clementem Alexandrinum grauissimum sane scriptorem cogitur aduersarius nobis relinquere? Cuius autoritatem vt eleuet, dicit eius libros esse in Apocrypha reiectos. Quod si ita est, certissimum sane est indicium fuisse summa autoritate. Nulli enim inter Apocryphos reiecti fuere nisi de quibus esset periculum ne inter canonicos reciperentur.

Clemens Alexandrinus.

Origenes.

Origenem etiam à nobis stare concedit: Annon hinc est facile iudicare, quæ statim post Apostolorū tempora fuerit hac de re vetustioris Ecclesiæ sententia? Cum hi duo summi viri hanc doctrinam non quasi nouam aut inauditam, sed quasi cōmuni Ecclesiæ consensu approbatam proposuerint? Verum ait Origenem multorū fuisse errorum damnatū. Fateor. Sed quia eius errores fuere diligentissime & notati & exagitati: neq; tamen vnquam hęc doctrina in errorum numero fuit habita: omnino statuere debemus, nullam hac in parte aliam sententiā in veteri Ecclesia fuisse agnitam.

A communi in Ecclesia opinione.

Quid quod Cypriani ętate, quæ non multo etiam interuallo Apostolos est consecuta, ea fuit Ecclesiæ communis opinio, eodem modo populum aqua declarari, quo Christi sanguis vino significaretur: vt facile appareat, quę fuerit totius vetustatis in re sacramentaria sententia: nisi forte existimamus fuisse

tam

tam stupidos vt populi substantiam crederent cum aquæ substantia realiter esse coniunctam.

Ambrosius vbi huius sacramenti mysterium explicat in 1. Cor. 11. Annon aperte inquit: Cum agitur, vt hoc fiat in memoriam Christi & mortis eius, nos in edendo & potando carnem & sanguinē Domini, quæ pro nobis oblata sunt significamus? Ambrosius.

Chrysostomus (aut quicunq; est author) hom. in Matth. 83. multis verbis docet Christum in cœna voluisse discipulos ab omni carnalis manducationis imaginatione abducere: Ideoque ipsum ante omnes delibasse, ne tale quid veniret illis in mentē & omnino ait, Christum iussisse vt id facerēt in sui memoriam quemadmodum ante Moses dixerat, Hoc erit vobis in sempiternum monumentum. Chrysostomus.

Eusebius Emissenus docet clarissime sacrum Dei corpus & sanguinem fide esse respicienda, cordis manu suscipienda & maxime totum haustu interioris hominis assumendum. Eusebius.

Cyrillus etiam prohibet manifeste mentes credentium ad crassas cogitationes irreligiose intrudi, & humanis cogitationibus subijci ea, quæ sola pura & exquisita fide capiūtur, &c. Quibus verbis nulla poterat particula negatiua efficacius oris manducationem excludere. Cyrillus.

Macarius Aegyptius scriptor antiquissimus & magnæ autoritatis Anachoreta in hom. 27. ait nos offerre panem & vinū, quæ sint antitypa vel exemplaria corporis & sanguinis: & qui visibili pane vescatur, eū spiritualiter domini carnē māducare. Macarius.

Basilius etiam in oratione de Paschate docet nos agni quidem fieri participes sed figuraliter: etsi nostræ figuræ veteribus sint clariores. Deinde vocat etiam antitypa corporis & sanguinis. Sed nimis longum esset omnes commemorare. Basilius.

Quod autem hic noster Antagonista nobis Augustinū vult eripere, non possum adduci vt credam id ab eo bona fide factū. Nam ipse Philippus Melanchthon dum esset in eadem sententia, non tamen ausus fuit diffiteri Augustinum à nobis facere. Tantum respondebat, vnius Augustini autoritatem non tanti debere esse vt opponeretur, manifestis Christi verbis, quemadmodum in epistola ad Oecolampadiū scriptū reliquit. Et nos jam ante multis locis vidimus, quid in genere de sacramētis sentiret Augustinus. Id ipsum claris verbis repetit contra Maximinum Arrianorum episcopū his verbis. In sacramentis non quid

sint, sed quid ostendant attenditur: Quoniam signa sunt rerum aliud existentia & aliud significantia. Idem in libro sententiarũ Prosperi. Cœlestis, inquit panis qui Christi caro est nominatur corpus Christi, cum reuera sit sacramentum corporis Christi: Vocaturque ipsa immolatio corporis quæ sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors & crucifixio non rei veritate sed significante mysterio. Idem contra Faustum ait. Huius sacrificij caro & sanguis ante aduentum Christi per victimarum similitudinem promittebatur: In passione Christi per ipsam veritatem reddebatur: post ascensum per sacramentum memoriæ celebratur. In lib. 3. de doctr. Christ. ait, Nisi per figuram Christi verba intelligantur quæ de eius corporis manducatione pręcipiuntur flagitium iri præceptum, & tandem concludit: Figura est ergo præcipiens passioni domini esse communicandum & suauiter atq; vtiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit.

Eat nunc noster Antagonista & iactet, nullam nos ex patribus sententiam negatiuam posse producere, quando aperte Augustinus asseuerat, sine tropo intellectum fore flagitium. Posterioribus deinde sæculis, quibus iã doctrina transubstãtiationis ex hyperbolis patrum nata radices agere cœperat: fuere tamen permulti viri & docti & pij qui hanc doctrinam retinuerunt.

Gelasius. Gelasius certe contra Eutychen ita scribit: Imago & similitudo corporis ac sanguinis Christi in actione mysteriorum celebratur.

Bernardus. Bernhardus, quem illa sua ætate, vnum Ecclesiæ columen non immerito appellaueris, etsi multis locis sacramenti huius dignitatẽ ita extollit, vt cum transubstantiatoribus sentire possit existimari: Tamen vbi ad explicationem ventum est, ita loquitur, Sermone de cœna domini, Sacramẽtum dicitur sacrum signum siue sanctum secretum. Multa enim fiunt propter sese tantum: alia vero propter alia designanda: & ipsa dicuntur & sunt signa. Vt enim de vsualibus accipiamus exemplum, datur annulus absolute propter annulum, & nulla est significatio: & datur ad inuestituram de aliqua dignitate aut hæreditate: Ita vt iam dicere possit, qui accepit annulum, Annulus nõ valet quicquam: sed hæreditas quam quærebam. In hunc itaq; modum appropians passioni Dominus, de gratia sua curauit inuestire nos, vt inuisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur: Ad

hæc instituta sunt omnia sacramenta: ad hæc Eucharistiæ participatio, &c. Quæ verba si cauillatione eludas, non video quid tam recte aperteq; dici posit, quod eiusmodi licentia non deprauetur.

Sed quid opus est verbis? Res ipsa loquitur, in Ecclesia postquam hæc doctrinę synceritas cœpit paulatim euanescere, duas tantum fuisse sententias, alteram Transsubstantiationis quam proposuere Lanfrancus & Paschasius: Alteram ad symbolicam & tropicam verborum explicationem pertinentem: Eam tutati sunt Bertramus & Ioannes Scotus: Quorum sane neutris media Companationis via vnquam venit in mentem: venisset autem procul dubio, in tanta animorum sententiarumq; dissensione: si vnquam tale quicquam in Ecclesijs vel fando fuisset auditum. Nam illæ patrum hyperbolæ, quibus hi etiam nostri aduersarij companationem fulciunt, producebantur quidem à transsubstantiatoribus: sed ab orthodoxis profecto nunquam per companationem realemue coniunctionem: sed per tropicam loquendi normam explicabantur.

Quæ in Ecclesia sententiæ.

Nouam esse doctrinam Consubstantiationis.

Ex quo manifestum fit, nouam esse hanc doctrinam, & recens inuectam ab ijs, qui dum magno pietatis zelo pontificias superstitionum nebulas discutere studerent, satis se abunde officio functos putabant, si transsubstantiationis portentum, omnium profecto superstitionum Lernam, verbo Dei euertissent. Interea nihilominus illa realitatis semel infixa opinio, non potuit ex animis eorum eradicari. Etsi igitur cõfitemur fuisse egregios Dei prophetas ac fidos Euangelij ministros: Agnoscimus tamen humanæ calamitatis (quæ nihil ex omni parte beatum esse patitur) vestigia.

De Confeßione Augustana.

Quod autẽ tanto supercilio nobis obijcit Antagonista confeßionis Augustanæ quasi sacrosanctã autoritatẽ: fatemur quidem nos illam facere plurimi: Sed primum, nunquam concedemus, illam diuini verbi authoritatem sortiri debere. Ad cuius normam spiritus dijudicemus, & doctrinas omnes expendamus: Tum quod Dei verbum abunde scripturis contineri, certo credamus: Tum etiam quod in compluribus, qui in eo consessu non postremum locum tenuere, rerum exitus satis

comprobauit fuisse homines: & quidem non omnes vero Dei zelo commotos, ita Deo patiente, ne nimium quam par est, illis tribuendum putaremus. Quanquam fuere permulti inter eos viri admirabiles.

Deinde nunquam euincet aduersarius ex ipsis Confessionis verbis, vllam realem vel corporis pręsentiam vel cõiunctionem cum pane induci: Tantum enim de cœna Domini docent his verbis: Quod corpus & sanguis Christi vere adsint & distribuantur vescentibus in cœna Domini: & improbant secus docentes. Quæ verba postea ita mutata fuerunt, Docere eos de cœna Domini, quod cum pane & vino vere exhibeantur corpus & sanguis Christi vescentibus in cœna Domini. Quibus profecto verbis, quia nulla neque realis vel præsentia vel coniunctio neque vbiquitas corporis statuitur, nos assensum præbere non dubitamus.

M. Bucerus. Et sane si alia vlla exotica doctrina fuisset proposita, qualis illa est de Vbiquitate & Realitate: nunquam Bucerus, vir & summa doctrina & singulari pietate ei subscripsisset, qui semper est apertissime nostram tutatus sententiam: cuiusq; autoritatem non dubitabo ego illis alijs opponere, qui cum neq; doctrina neq; iudicio essent cum illo conferendi: tamen suis interpretationibus atq; commentis confessionis Augustanę sententiam non veriti sunt mutare, aut potius corrumpere.

Ph. Melanchthon. Et adijciam Philippum Melanthonem virum extra iudicij aleam positum: Is cum assentiretur adhucdum Luthero: tamē à portentosa vbiquitatis doctrina semper abhorruit: Quemadmodum in Commentar. ad Epistolam Pauli ad Coloss. testatū reliquit. Tandem etiam Lutheri sententiam deseruit & in nostram pedibus abijt. De cæteris nihil dicam, quia nolo hominū autoritate præiudicium veritati facere. Tantum obnixe rogabo omnes eos qui pręclarum à domino talētum acceperunt, vt omnes & animij & ingenij vires eo conferant, vt ex verbo Dei non ex hominum præiudicijs hæc controuersia componi possit. Et quia existimo hunc nostrum Antagonistam, cum quo iamdudum concertamus, non vltimum inter pręclaros doctosque viros locum obtinere: etiā atq; etiā vehementissime ab illo cōtendam, vt ad stabiliendam æquam Ecclesiæ Dei cōcordiam atq; pacem, omnem operam adhibeat, quo & Dei patris, Iesu Christi laus & gloria amplificetur & Ecclesiarum numerus crescat

scat

ſcat & Christi Domini noſtri Ieſu Chriſti aduerſarij conficiantur. Rogaboq; vt amica aliqua collatione ſtudeat potius omnem noſtram diſſenſionem componere: quam vt aduerſariorũ noſtrorum animos iam plus ſatis erga nos noſtramque doctrinam exacerbatos, ſuis ſcriptis amplius extimulet. Videt enim (ſi tamen hæc noſtra ſcripta aliquando ad eius manus ventura ſint) nos neque autoritatibus neq; rationibus deſtitui, quibus noſtram ſententiam fortiter tueamur. Velim præterea, vt hæc ipſa noſtra ſcripta quibus tantum voluimus, noſtrum in veritate inueſtiganda ac proponenda ſtudium declarare, candide atque benigne interpretetur: & Deum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti cõmunibus nobiſcum votis interpellet, vt omni diſſenſione ſublata, & veritas locum teneat, & Domini gloria in Eccleſia ab omnibus pijs vnanimi conſenſu celebretur,

AMEN.



